EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

Pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene, de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare.

(Leo Pontif. XIII).

Fili hominis, pone cor tuum, et.... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel 44, 5).

ANNUS XII — VOLUMEN XII

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

ROMAE
TYPOGRAPHIA FRATRUM **Amoroso**
In vico *vulgo* della Torretta Borghese n. 22-25
1898.

41127

Annus XII. N. I. Ianuarius 1898.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

OMINA

Anno iam inituro appropinquantes, ab Ephemeridum *initio vitae decimo secundo, harum Moderatores Venerabilibus Consociatis omnibus singulisque fausta quaeque adprecantur. Dumque si opus sit, de exeuntis defectibus veniam exposcunt, de incipientis anni conditione meliori, in quam* Ephemerides *transferre salegerunt, sibi gaudent. Defectuum causam caritati tribuendam esse Consociati sciant; neque ex eadem ratione ampliorem a nobis, exoramus, explicationem exigere velint. Praestantioris vero status* Ephemeridum *praesentium causam agnoscimus Consociatorum ius, ut opera, qua Moderatores* Ephemeridum *quadam ex iustitia devinciuntur, omni cura solertiaque adhibita, sibi impendatur. Cumque iustitia praevaleat caritati, illi prae hac adhaerere necessario iudicavimus. Eapropter deinceps recentiores typi magisque perspicui, melioris constitutionis charta, correctio accuratiori modo peracta in* Ephemeridibus *habebuntur: verbo, quantum fieri potuit, in omnibus et per omnia satis Consocialis facere diligenter studuimus. Quod profecto magisque praestare omni ope curabimus, iis inspectis quae rerum in hisce paginis tractandarum veritatem spectant. Haec dum Lectoribus nostris nota facimus, libentiori animo iterantes omina, promissa complere aggredimur.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE
SUPER SACRIS RELIQUIIS.

I.

Caius Sacerdos, cum cuiusdam Ecclesiae Rector renuntiatus fuisset, plures in illam secum tulit sacras Reliquias, quibus Ecclesiam suam donavit. Inter eas praestant corpus cuiusdam S. Martyris, capilli almae Virginis, et unus ex clavis, quibus Christus Dominus fuit cruci affixus. Sed Caium inter et alium Presbyterum sodalem suum saepe saepius super praefatis aliisque Reliquiis illius Ecclesiae suboriuntur quaestiones, quarum quippe Caius tenet, alter vero negat authenticitatem. Hic enim ait, sanctum corpus Martyris, quod in Ecclesia Caii honoratur, in alia quoque suo cultu gaudere: Deiparam in resurrectione capillos suos servasse: et clavos, quibus Dominus crucifixus est, nonnisi tres aut ad summum fuisse quatuor, cum nihilominus innumeri recenseantur. Ceterum nec diffitetur Caius, universas Reliquias quas possederat, atque Ecclesiae suae donavit, a quodam Episcopo Titulari fuisse recognitas, et authenticas declaratas. Ex quibus alter Presbyter infert, eas nec certas esse nec authenticas, nec proinde cultum publicum habere posse. *Quaeritur:*

1°. *Quid pro sacris Reliquiis intelligatur, quidque de origine cultus sacrarum Reliquiarum dicendum veniat, disciplina tam latinae quam graecae Ecclesiae inspecta?*

2°. *Utrum et qualis approbatio Reliquiarum requiratur ad cultum publicum, et cuinam ius competat eas approbandi?*

3°. *Quid iudicandum de singulis in casu expositis, quidque de disceptantibus sentiendum?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Rinaldi Paolucci Pont. Sem. Pii alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Congr. Missionis prope Curiam Innocentianam, die 17 Novembris 1897; acta Epitome per Rmum Dom. Hilarium Passerini ex Praelatis Rom.

I. Quid pro sacris Reliquiis intelligatur quidque de origine cultus sacrarum Reliquiarum dicendum veniat, disciplina tam latinae quam graecae Ecclesiae inspecta?

Reliquiae voce, ait cl. Cavalerius, ut ipsamet nominis etymologia indicat, ac veterum usus fuit, significatur quidquid ex aliqua re superest, seu reliquum est: hinc Tullius *ciborum reliquias, hostium reliquias, vitae reliquias,* non semel dixit, aliaque huiusmodi exempla videri collecta queunt. Ecclesiastici tamen scriptores, non modo quod ex aliquo sancto superest, veluti cadaver, ossa, vestes, verum etiam alia, in quibus vocis etymologia minus servatur, Reliquias appellarunt, ac tamquam eorumdem Reliquias fideles ipsi venerati sunt. Qua de causa sacrarum Reliquiarum, prout ad praesens attinet, nomine intelligi facile possunt quaevis Sanctorum monumenta, idest quidquid

aptum de se est ad excitandam in nobis Sanctorum memoriam ideoque eorum venerationem et cultum. Haec quoque *sacras Reliquias* appellavere fideles, quas tamquam Sanctorum Reliquias sacrae honorificentiae argumentis prosecuti sunt, id procul dubio promovente Deo ipso, qui per eas res miracula saepe edidit. Licet autem plurima sint ea quae a fidelibus pro Reliquiis habita sunt ac veneratione affecta, in tria partiri ac recenseri genera possunt. Sunt autem 1.° Reliquiae *proprie et rigorose* dictae; 2.° Reliquiae *minus proprie et latiori sensu* dictae; 3.° Reliquiae *improprie* dictae, communiter *sanctificatae* appellatae.

Ad Reliquias proprie et rigorose dictas directe spectant Sanctorum corpora ac horum partes quaecumque ad humani corporis unitatem vel integritatem, vel alias quomodocumque attinentes, cuiusmodi sunt brachium, manus, ossa et adhuc dentes, ungues, crines etc., quibus adde sanguinem, lacrymas et plura id genus. Sunt qui corpori sanctorum integro Reliquiae vocabulum aegre concedunt, aut etiam auferunt, eo quod proprie significare arbitrantur id, quod remanet, detracta maiori parte. Verum cum principalior ac nobilior hominis pars anima existat, etiam in hac acceptione non videtur cur corpus humanum, licet integrum, Reliquia dici non possit, utpote quod humi remanet, et relinquitur. Est et aliud Reliquiarum genus Sanctis aliquibus peculiare, quod Reliquiis proprie dictis quidem affine esse videtur, et, licet pars corporis vera non sit, nec ullam cum illo dum vitam ageret forsitan coniunctionem habuerit, ad corpus tamen aliqualiter attinet, quod ab eo scaturiat et effluat. Huiusmodi est liquor v. gr. ille, qui ex sepulcro S. Andreae festo illius die emanare dicitur. Ad hanc rem insigne est testimonium S. Gregorii Turonici (*de gloria Mart. c. 31*): « Andreas Apostolus magnum miraculum in die solemnitatis suae profert, hoc est manna in modum farinae vel oleum cum

odore nectareo, quod de tumulo eius exundat... quod non sine miraculo ac beneficio habetur in populis.» De S. Nicolao Ep. Baronius (*in Martyrol. 9 Maii et 6 Dec.*) per haec verba nos docet: « Ex eiusdem S. Antistitis corpore, ut e perenni quodam charismatum fonte, stillat liquor salubris, sicut olim, cum esset Myrae. » De aliis quoque similia tradunt auctores et compertum est, arida divi Nicolai de Tolentino brachia, in imminentium Ecclesiae aerumnarum praesagium, non semel dedisse sanguinem.

Hae et aliae similes Reliquiae, ad Reliquias proprie dictas reduci queunt, quibus si quis adiungere velit lacrymas, aliaque id genus, quae ex Sanctorum statuis aut picturis dilapsa fuere, non videretur contendendum, tametsi in hisce Reliquiis etymologia utique laxior appareat.

Ad Reliquias minus proprie dictas revocantur vestes aliaeque res, quibus dum vivèrent utebantur Sancti, quaeque ex Sanctorum viventium contactu usuque sanctificationem quandam recepere, cuius causa eas veluti sacras Reliquias, summo in honore semper habuere christiani. Vestem, quam in modum sportae ex palmae foliis Paulus sibi texuerat, eo mortuo, sibi adscivit Antonius, solemnioribus solemnitatibus illam deferens. Et (*Act. 19, 12*) Lucas tradit, quod super languidos deferebantur a corpore Pauli sudaria et semicinctia et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. Ioannes quoque diaconus in vita S. Gregorii M. (*lib. 2, c. 6*) scribit, quod eius lectus, flagellum et Antiphonarium usque tunc veneratione congrua reservabantur.

Hic subvenit quod Hemoroissa aiebat (*Matth. 9, 21*): *Si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero*, et quod fideles umbra Petri Apostoli pertranseuntis sanabantur.

Ad eamdem classem attinent instrumenta Martyrii, quae indubitatum est a christianis primorum usque saeculorum sollicite perquisita fuisse summoque in honore

habita. Succedunt aedes, quas Sancti incoluerunt, aut loca in quibus passi sunt, quae proculdubio tantum honorem consecuta sunt a fidelibus, ut in iis sacrae aedes sine Reliquiis erigi possent, perinde ac si sanctificata eadem loca satis fuissent a Sanctorum incolatu, aut gloriosissima morte. Unde Concilium V Carthaginense can. 14, postquam vetuit sine sacris Reliquiis altare construi, et Martyrum memoriam erigi, sinit tamen id fieri iis in aedibus, quas incoluerant iidem Sancti, aut in quibus passi erant.

Ad Reliquias *improprie dictas, seu sanctificatas* attinent linteola, vestes, vela, flores aliaque id genus sacris cadaveribus admota; ex contactu enim aut etiam propinquitate cadaverum Sanctorum vim aliquam supernaturalem caelestemque virtutem visa sunt recepisse, vi cuius honorem a fidelibus assecuta sunt ac velut sanctificationem recepisse censita fuerunt, et quidem non sine fructu, quoniam ex iisdem, non minus ac ex ceteris Reliquiis superius recensitis, plurima emolumenta in honorantes fideles derivarunt. Audi S. Ambrosium (*Class. 1, Ep. 21, n. 9)* ita loquentem: «Quanta oraria iactitantur? Quanta indumenta super Reliquias sacratissimas et tactu ipso medicabilia reponuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere, et qui contigerit salvus erit. » Et S. Augustinum *(in Brev. Rom. die 3 Aug.):* « Ibi caeca mulier, ut ad Episcopum portantem (Reliquias S. Stephani Protomart.) duceretur oravit, flores quos ferebat dedit, recepit, oculis admovit, protinus vidit. » Adeo vero insita fidelibus erat persuasio, qua putarent sanctorum cadaverum propinquitate iuvari, et veluti sanctificari res super eisdem, aut etiam prope ea positas, ut olea desumpta ex lampadibus ardentibus ante Reliquias Sanctorum magna in veneratione habuerint. Gregorius Turonens. (*C. 2, lib. 1. miraculorum S. Martini*) copiose de hac consuetudine agit, et

miracula scribit peracta per oleum ad tumulum S. Martini positum *et iusti virtute infusa sanctificatum.*

Ita ex *Itinerariis Peregrinorum* consuetudo innotescit asportandi, venerationis ergo, saeculis potissimum sexto et septimo, e romanis catacumbis, olea lampadarum ad Martyrum sepulcra ardentium. Modoetiae, in magno thesauro, etiamnum *Index oleorum* asservatur, a legato Reginae Theodolindae rédactus, in quo singula diversa olea adnotantur, e sepulcris Martyrum romanorum collecta, eiusdem Reginae iussu, Reliquias eorumdem Sanctorum habere cupientis.

Sanctificatis Reliquiis adnumerantur brandea seu linteola aut vela, Sanctorum sepulcris devotionis ergo applicata; unde Gregorius M. ad Constantinam Augustam (*lib. 3, Ep. 30*): « Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere praesumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in Ecclesia, quae est dedicanda, debita cum veneratione reconditur. » Ad Sanctorum sepulcra saepe rimae seu fissurae fiebant, per quas brandea mittebantur. Ad Sancti Petri sepulcrum, quae inde demittebantur brandea sacrum corpus non attingebant, sed lapidem illi superpositum.

Sanctorum Reliquias Ecclesia Dei semper est venerata; hinc Moyses (*Exod. 13, 19*) discessurus Aegypto, honorifice transtulit Patriarchae Ioseph ossa. Eliseus (*4 Reg. 2, 14*) pallium Eliae, quod ceciderat ei, adeo est veneratus, ut eo percusserit aquas Iordanis et divisae sint huc atque illuc. Et quod Ecclesiam catholicam attinet, venerationis huiusmodi erga Sanctorum Reliquias praestitae initium ab Apostolicis usque temporibus repetendum esse, infinita propemodum monumenta evincunt. Quod et S. Tridentina Synodus aperte declarat (*De invoc., venerat. et Reliq. San-*

ctor. Sess. XXV.): « Mandat S. Synodus omnibus Episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut, iuxta Catholicae et Apostolicae Ecclesiae usum *a primaevis christianae Religionis temporibus* receptum... in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore... fideles diligenter instruant. »

De S. Stephani Protomartyris Reliquiis scimus quanti eas fecerint Apostoli et Christi Discipuli. Iam, primis saevientibus persecutionibus, mandavit Ecclesia, ut ad id adlecti Notarii Sanctorum Martyrum res gestas conscriberent diemque Martyrii et locum sepulturae adnotarent. Sacerdotes aliique clerici nec non piae mulieres, sancta colligere membra, quae de Christi victimis possent, non desistebant, de vitae suae quoque periculo nec cogitantes. Sancto Cypriano mox capite plectendo plures occurrère fideles sacrum sanguinem lineis panniculis collecturi.

Pro Graeca Ecclesia satis sit testimonium Eusebii Caesariensis (*lib. 4, c. 5*). Is refert Ecclesiam Smyrnensem ad Ponticam scripsisse, quod a Iudaeis moti Gentiles Praesidem exorarunt, ne S. Polycarpi Martyris et Episcopi corpus cuiquam daret, ne Christiani, Crucifixo deserto, illum inciperent venerari. Equidem S. Polycarpus coaevus et amicus S. Ignatii Mart. erat, et hic Apostolorum discipulus ac tertius S. Petri successor in Antiochena sede. S. Polycarpus idem discipulus erat S. Ioannis Apostoli, ac valde probabiliter unus de immediatis Christi Domini sectatoribus. Pro Ecclesia latina, satis sit meminisse Cryptas Sanctorum Martyrum priorum trium saeculorum in Catacumbis. Nonne praeclarum extant monumentum de antiqua in Christi heroas pietate et veneratione? Quid altaria ad divinam victimam offerendam super sacras exuvias erecta significant? Uno verbo maximum, qui excogitari possit honorem.

Praeterea in utriusque Ecclesiae disciplina, quotannis

dies anniversaria ab obitu Martyrum magna celebrabatur solemnitate magnoque fidelium concursu, qui ad illorum sepulcra peregrinabantur, ut Reliquias venerarentur et divinis assisterent Officiis, quae per Episcopum perficiebantur. Huius rei testes manent antiqua Martyrologia et Menologia; hisce addas decretum Concilii Turonensis sub Nicolao I celebrati, in quo praecipitur illos Sanctos singulis annis celebrandos esse, quorum Reliquiae in Ecclesia servarentur (*Cap. 21*).

Venerationis signum fuere, prout et nunc subit, lumina quae ante sacra Lipsana ardebant in signum fidei, spei et amoris; quia fideles viventes apud Deum Sanctos credebant, resurrecturos sperabant, in sancta communione coniunctos amabant.

Consideratione dignum hoc est, quod nempe cultus sacrarum Reliquiarum valde iam ab initio differebat ab illo sacrarum Imaginum; in his enim cultus habetur indirectus, in illis directus et immediatus.

Unica quae habebatur differentia inter utramque Ecclesiam, haec est: apud graecam Ecclesiam Martyrum Reliquiae facilius amovebantur, asportabantur, inter diversas Ecclesias dividebantur, dum id minime omnino patiebatur latinae Ecclesiae consuetudo. Hinc tantum sudaria et vela ad sacras Reliquias admota, vel rasura aliqua non quidem ossium, sed vel catenarum vel aliorum passionis instrumentorum mittebantur, licet pro consecratione Ecclesiarum deservire deberent. Unde celebre est responsum S. Gregorii Magni ad Constantinam Augustam (*lib. 3, Reg. Epist. 30*), quae postulaverat, ut S. Pauli caput vel aliquid aliud de corpore ipsius ad eam transmitteret, « se vehementer dolere, quod id facere nec posset nec auderet, et Romanis consuetudinem non esse, quando Sanctorum Reliquias dant, ut aliquod tangere praesumant de corpore... se ad eam sudarium transmittere, quod corpus Pauli te-

tigerat, et curaturum partem aliquam ex catenis, quas Paulus Ap. in collo et in manibus gestaverat, transmittendam. »

Quanta cura maiores nostri de Sanctorum Reliquiis solliciti erant! In Basilica veteri S. Pauli aedificanda, contra morem, eius faciem ad occidentem conversam altari contra absidem respiciente, maluerunt, quam B. Apostoli corpus e loco dimovendum praesumerent. Ita pariter et Summus Pontifex Iulius II iussit aliter Basilicam S. Petri amplificandam, votis architectorum haud obsecundans, qui eiusdem S. Petri corpus, ad opus perficiendum, asportandum autumabant.

Notetur et hodierna Summorum Pontificum hoc super negotio providentia cum Servorum Dei et Beatorum corpora sub Apostolicae immediatae iurisdictionis tutela servant, quod et praestant erga plurium Sanctorum corpora, veluti S. Iacobi Apostoli, S. Ambrosii, S. Augustini. Saeculo tamen VIII, sub Paulo I Pontifice coeptum est et in Latina Ecclesia transferri sacras Sanctorum Reliquias e coemeteriis et catacumbis in civitatem, ut a barbarorum incursionibus servarentur.

Valde optandum esset sane, quod nunc attinet, ut in distribuendis Reliquiis maior adhiberetur parsimonia ne sacrae Sanctorum exuviae nimis dispergerentur, neque ad impias manus pervenirent. Optime his malis occurret, qui, suis rebus, obitus memor consulturus, Ecclesiis aut piis personis mittendas sacras Reliquias, quas forte possideret, curaret.

Notatu dignum ducimus et illud improbandum esse, quod sacrae Reliquiae infra vestes gestentur, nec semper qua decet reverentia.

II. Utrum et qualis approbatio Reliquiarum requiratur ad cultum publicum et cuinam ius competat eas appro-

bandi? Tres huius quaestionis partes singillatim expendamus.

1. Ad cultum publicum sacris Reliquiis legitime praestandum, requiritur earum approbatio. Constat ex Decreto generali S. Rituum Congregationis d. d. 11 Augusti 1691, quo declaratur, Reliquiis Sanctorum « ab Ordinariis locorum approbatis, debitam Fidelium venerationem exhibendam esse ».

Id autem refertur ad novas Reliquias, seu noviter inventas, quoniam agitur de cultu iisdem primitus exhibendo, ac consequenter necesse est, ut prius examinentur an omnia concurrant, quae iuxta Apostolicas Sanctiones exiguntur, ut publicae exponi valeant venerationi, ne contingat fidelium deceptio, praesertim in casu Reliquiarum Sanctorum in Martyrologio non descriptorum in quo nedum evenire posset adoratio Reliquiae falsae, sed insuper adoratio personae alicuius ut sanctae, quae tamen sancta non est, cum cultus Reliquiarum, utpote respectivus, dirigatur ad personam illam, cuius illae Reliquiae esse creduntur; hinc et Tridentinum (Sess. 25) novas Reliquias statuit esse ab Episcopo recognoscendas et approbandas (V. *Cavalieri De Reliq. Ss. C. IV, Decr. X*).

2. Hic solvenda venit altera quaestio, *qualis* futura sit haec approbatio Reliquiarum. Distinctioni locus dandus est: aut agitur de novis Reliquiis aut de antiquis; iuxta Tridentinum pro novis Reliquiis *recognitio* et *approbatio*, ut vidimus, requiritur, eo praecise sensu quem exposuimus, pro antiquis vero approbatio ad simplicem dumtaxat *recognitionem* reducitur. Et sane, ut bene animadvertit Cavalerius (*loc. cit. n. 13*), « Si sermo sit de Reliquiis antiquis et quae sunt in antiqua pacifica cultus possessione, non credimus necessariam esse approbationem Episcopi, ut publico cultui, ut prius, exponantur; sunt etenim istae in possessione legitima et canonica publici cultus, et sic

absque iniuria spoliari non possunt, sed iisdem manutentio debetur, donec, et nisi gravi aliqua de causa, ab Episcopo a cultu suspensae venirent, aut expresse reprobatae.» Ergo Episcopus hoc in casu nonnisi recognoscit, seu ratum habet quod antea probatum est.

Distinguunt alii et casum in quo agatur de Sanctis in Martyrologio Romano descriptis, ab alio in quo agatur de Sanctis ibi non descriptis, ut pro illis non requirant Episcopi approbationem. Hoc autem desumunt ex citato Decreto, quod ait, de Sanctis in Martyrologio descriptis fieri posse Officium, *dummodo constet de identitate corporis seu Reliquiarum*, absque eo quod requiratur approbatio; de aliis vero non posse Officium fieri, sed venerationi posse exponi, dummodo approbentur. At iste loquendi modus explicandus est eadem ratione, quam nuper exhibuimus, de Reliquiis antiquis et de novis; videlicet, Sancti qui in Martyrologio Romano non describuntur, peculiari quadam indigent approbatione; cum enim Sancti illi, teste Quarti (*part. I, tit. 4 dub. 7*) in Martyrologio Rom., quod est Catalogus Sanctorum approbatorum et manifestum testimonium Canonizationis, non recenseantur, Ordinariorum examen, nedum debet versari circa *identitatem* et veritatem Reliquiarum, uti contingit in Reliquiis Sanctorum in Martyrologio Rom. descriptorum sed ulterius circa sanctitatem virorum Dei, videlicet an eae Reliquiae sint alicuius ex Dei servis, quibus, iuxta Apostolica Decreta, licita est fidelium veneratio. Aliorum enim Reliquias approbare, non Episcopi, sed Summi Pontificis solummodo est, ut ex *cap. fin. de Reliq. et venerat. Sanctor.* colligunt omnes Doctores.

Circa modum huius approbationis, operis pretium est, aliquantulum immorari. Antiquitus identitas Corporum Sanctorum et Reliquiarum ad ignis examen comprobabatur, uti pluribus exemplis Theodoricus Ruinart testatur, in appendice ad Gregorium Turonensem, at cum ab eiusmodi

usu abstinendo omnino sit, non enim Deus tentandus est, ad effectum de quo agimus, Doctores communiter censent sufficere certitudinem moralem, effectam per probationes concludentes, non autem requiri mataphisicam vel phisicam. Eiusmodi vero certitudo, iuxta Bordonum (*T. 4, resol. 117*) et Monacellum (*formul. leg. pract. p. 2, tit. 13, n. 25*), his argumentis probari potest:

a) Bullis Pontificiis aut Instrumentis publicis, quae semper fidem sibi vindicant, donec probetur contrarium.

b) Scriptura subscripta a Superiore Ecclesiae cum duobus ad minus testibus, vel quae habet sigillum authenticum cum subscriptione Superioris.

c) Scriptura etiam non authentica reperta apud Reliquias.

d) Libris Historiarum; in antiquis siquidem probatio praesumpta sufficit etiam in his, ex difficultate probationis.

e) Traditione seu publica voce et fama constanti, facta enim antiqua per ora hominum successive probant. Si enim traditio hominum et Ecclesiae probat ad fidem, ergo a fortiori ad Reliquias.

f) Lapide marmoreo aut inscriptione antiqua nomen Sancti continente, ubi Reliquia reperitur.

g) Iuramento saltem duorum proborum hominum (*Monacellus*) vel etiam unius probi hominis (*Bordonus*); est enim iuramentum confirmatio veritatis, et in defectum aliarum probationum succedit, et dicitur probatio legitima. Bene utique procedit in casu nostro, cum non agatur de praeiudicio tertii, tunc iuramentum valide probat, defectu aliarum probationum. Crispinus tamen apud Monacelli (*loc. cit. n. 9*) monet, quod si agatur de Reliquiis dubiis exponendis in Ecclesiis Regularium, super illarum cultu, identitate et antiquitate non est deferendum attestationibus ipsorum Regularium, quamvis superiorum, nisi adsint aliae

demonstrationes, quae identitatem demonstrent et antiquitatem. Idem dicito de attestationibus quorumcumque aliorum respective ad Reliquias in eorumdem Ecclesias exponendas.

4) Addit Monacelli probari identitatem Reliquiarum omnibus aliis argumentis et coniecturis, quibus probatur identitas omnis rei, iuxta generalem regulam.

Dices, quod si sufficeret certitudo moralis ex praedictis argumentis petita, contingere posset, Reliquias falsas venerari. Respondent auctores contingere posse deceptionem ad summum materialem, nunquam tamen formalem, quae fidelibus nocere possit; omnis enim Sanctorum veneratio directa ad suas Reliquias habet adiunctam conditionem tacitam: si vera sit Reliquia, aliter cultus solum intelligitur directus ad prototypum in quod tandem terminatur.

Ceterum aliud haberi interdum potest validissimum argumentum, quamvis nec illud certissimum, ad identitatem Reliquiae astruendam, miracula nempe, quae Deus non semel operari dignatur per Reliquias. Unde aliquo alio accedente argumento, longe veritati consentaneum est, de authenticitate talis Reliquiae iudicium.

3. Ast cuinam ius competit Reliquias approbandi? Ex Concilio Tridentino, ad Ordinarios spectat. Ulterius, quorumnam Ordinariorum approbatio requiritur? Proprii respective dioecesani, an etiam extranei?

Salmanticenses (*T. 4 Theol. Mor. tract. 16*) aliique theologi hanc alteram tuentur sententiam atque autumant sufficientem esse cuiuscumque Episcopi approbationem. Verum cum communiori sententia dicendum Ordinarii *loci* approbationem exposci; ratio est, quia Reliquiarum approbatio non procedit ex potestate Ordinis Episcopalis, sed iurisdictionis, quae ad loca circumscribitur. Sic autem conformabimur S. Rituum Congregationis intellectui, quae de qui-

busdam Reliquiis fidelium venerationi exhibendis disserens (*11 Aug. 1691*), eas ab Ordinariis *locorum* (scilicet respective) debere esse approbatas aperte decernit (V. et aliud Decr. eiusd. S. Cognis, d. die *8 April. 1628*).

Appellatione autem Episcopi, ad effectum de quo agitur, veniunt etiam Patriarchae, Archiepiscopi, et quicumque alii Praelati Episcopo inferiores, qui iurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem in loca assequuntur. Item Nuntii Apostolici. Nullimode vero Praelati regulares, neque pro Ecclesiis sibi subiectis, utpote qui Ordinarii loci vere non sint.

III. Quid iudicandum de singulis in casu expositis, quidque de disputantibus sentiendum? Praemittimus, approbationem Reliquiarum, quarum Caius authenticitatem satis probatam tenet, quamvis a quodam Episcopo Titulari tantum fuerint recognitae, nihil valere ad effectum liceitatis earumdem expositionis et publicae venerationis; requiritur enim, uti superius vidimus, praeter authenticitatem, approbatio Episcopi loci, in quo sunt venerandae. Imo si a nullo Episcopo Ordinario fuerint recognitae, nec authenticae dici possunt. Unde, usque dum Ecclesiae Caii Ordinarius sacras Reliquias non approbaverit, haec exponi ad publicum cultum non potuissent; quia nec negativa approbatio locum habuisset. Deficiunt enim rationes ex quibus praesumi posset authenticitas Reliquiarum in casu, unicum quippe argumentum est Episcopi Titularis recognitio, quae non sufficit.

Rationes vero intrinsecae a Caii sodale prolatae ad negandam authenticitatem Reliquiarum, speciosae videntur, sed nullius roboris sunt. Et sane de duobus illius Sancti Martyris corporibus, profecto unum falsum esse debebat, sed utrum falsum? Cur illud Ecclesiae Caii et non alterum? Ad summum, argumentum hoc dubitationi locum dare potuisset, nunquam vero certitudini. Ergo, accedente

Episcopi approbatione, nil contra publicum cultum adduci debebat. Item, nihil valet ratio de capillis B. M. V. adducta, eo quod dici potest, verum esse in resurrectione B. Virginem capillos servasse, sed quid mirum si eorum pars a devotis eiusdem B. Mariae dissecta et servata putetur? De Clavo tandem Christi Domini, uti de sancti Martyris corpore diximus, quis negare poterit illum esse vere unum ex tribus vel quatuor quibus Christus confixus fuit cruci, et non de falsis, qui forte habentur? Sed nec deficiunt argumenta ad horum falsitatem generatim expungendam. Fieri enim potest clavos esse non Sacrosancto corpori immediate infixos, sed qui crucem compositam tenebant, vel titulum in illa affixum sustentabant, vel etiam pedum fulcimentum. Aut sin minus illos clavos esse, qui antiquitus efformati sunt, similes illis qui authentici dignoscebantur, ac ad horum contactum admoti, proindeque ad cultum adhibiti quemadmodum factum vidimus de brandeis aliisque rebus ad Sanctorum corpora admotis. Unde nil mirum: hi clavi ad tertiam, quam recensuimus, Reliquiarum classem pertinent, nempe ad illam Reliquiarum quae sanctificatae appellantur.

DUBIUM LITURGICUM

Qr. **In Missa quotidiana de Requie, quae cum cantu celebratur in duplicibus vi indulti specialis, quot Orationes dicendae sint?**

Ad Ephemerides sequentes super enunciato dubio, dati fuerunt articuli ut vulgarentur: ancipites haesimus utrum eorumdem evulgatio conveniret, quod falsum thesim sustinent. Sed tandem pro evulgatione stetimus, ne cl. scriptori iniu-

riam facere videremur. Confutationem nihilominus cogimur adiungere omnibus et singulis quae scriptor momenta profert, ne decipiantur lectores: quorum cetera iudicio, seu rationes quibus falsa thesis innititur, seu responsa nostra submittimus.

ART. 1.

Plures Episcopi pro suis Dioecesibus respectivis a Sancta Sede obtinuerunt indultum particulare, vi cuius licet duobus (seu tribus) in hebdomada vicibus, in qualibet Ecclesia parochiali, cantare Missam *de Requie*, etsi ritus duplex occurrat, exceptis duplicibus 1 et 2 classis, festis de praecepto servandis, feriis, vigiliis et octavis privilegiatis. Praefata indulta hoc sensu intelliguntur, quod in qualibet Ecclesia parochiali plures Missas *de Requie* dictis diebus duplicibus cantare licéat, etiamsi tria aut quatuor semiduplicia occurrerent in ista hebdomada, nisi aliud explicite indultum dicat. (Cfr. S. R. C. d. 18 Dec. 1878 ad 1 et 2 in *Tarantasien.* et 15 April. 1880 in *Aquen.*; item *Ephemerides Liturg. Vol. V, pag. 507.)*

Porro ante Decretum generale S. R. C. d. d. 30 Iunii 1896, saltem ab anno 1883, quilibet Sacerdos, praefato indulto utens, in omni Missa quotidiana de Requie cum cantu celebrata, unicam tantum orationem dicebat; citato autem Decreto generali emanato, Sacerdotes in hisce regionibus in eadem Missa *de Requie* tres orationes recitare mox coeperunt. Quid de hac agendi ratione iudicandum?

In quantum quaestionem istam intelligam, dictam agendi rationem non esse rectam autumo. Sicut illi ante praesens Decretum generale erraverunt, qui in omni Missa quotidiana de Requie cum cantu, unam tantum Orationem dixerunt; ita et illi in praesenti errare mihi videntur, qui in eadem Missa semper tres Orationes recitant.

Resp. *Vera est propositio contraria, hoc est: Sicut*

illi ante praesens Decretum gen. optime se gesserunt et in veritate steterunt, *qui in omni Missa quotidiana de requie cum cantu unam tantum Orationem dixerunt; ita et illi in praesenti* optime se gerunt et veritati inhaerent *qui in eadem Missa tres semper Orationes recitant.*—

En argumentationem meam :

1.° — Ante omnia advertendum est a Sacra Rituum Congregatione per Decretum generale sub die 30 Iunii 1896 Rubricam generalem Missalis tit. V. n. 3. nullo modo mutatam esse, sed clarius et expressius dumtaxat declaratam; quod constat ex verbis quibus praesens Decretum generale incipit : « *Ut omne tollatur dubium super Orationibus et Sequentia dicendis in Missis Defunctorum. S. R. C.* **declarat.** »

Ut itaque quilibet dictam S. R. C. declarationem melius discernat et intelligat, textum tum Rubricae gen. Missalis, tum praefati gener. Decreti hic primum affero :

Textus Rubr. gen. Missal. Tit. V. n. 3.

« In die Commemorationis omnium Defunctorum, et in die Depositionis, et in Anniversario Defuncti, dicitur una tantum Oratio : et similiter in die III, VII, XXX, *et quandocumque pro Defunctis* **solemniter** *celebratur* : in aliis Missis plures, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus. »

Textus S. R. C. Decr. gener. d. d. 30 Iunii 1896.

«... S. R. C. declarat : I. Unam tantum esse dicendam Orationem in omnibus Missis, quae celebrantur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die Obitus seu Depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu, diebus III, VII, XXX, et die anniversaria, *necnon quandocumque pro Defunctis* **solemniter** *celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat,* uti in Officio quod

recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis. — In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis, sive cum cantu, plures esse dicendas Orationes. »

Resp. *Ex verbis « Ut omne tollatur Dubium » quibus Decretum incipit, non sequitur praeter intentionem fuisse Sacri Tribunalis aliquam inducere mutationem, seu potius diversam dare interpretationem ab antiqua Rubricae Missalis. Quinimo oppositum constat ex Oratione prima in Missis quotidianis lectis dicenda: quippe quae antea vetita erat pro anima in cuius suffragium sacrificium applicabatur, dum praesens Decretum eam aperte praescribit. Nil ergo obstat, quominus et Rubricae Missalis, circa* solemnitatem *Missae, diversam ab antiqua interpretationem Sacrum Tribunal tribuat.*

Ceterum ipsum Decretum hanc diversam interpretationem explicite praedicat dicens, tunc Missam solemniter *celebrari cum respondet ritui duplici, nempe officio defunctorum sub ritu duplici; et Missam quotidianam, etiam cantatam et cum ministris, plures Orationes habere. Nunc autem nemini latet, contra legem certam non esse interpretationem faciendam.* —

2.° — Quod in Missis *privilegiatis* Defunctorum una tantum Oratio dicenda sit, de hoc nulla unquam orta est quaestio. Ast circa Missas privatas seu quotidianas, in cantu quidem, sed sine sacris Ministris celebratas, inter Rubricistas olim multum certatum est, quum alii unam Orationem tantum, alii plures esse dicendas contenderent. Quorum opiniones et rationes hoc loco referre inutile censeo, quum S. R. C. recentioribus suis Decretis rem plane

confecerit, ex quibus unum afferre satis erit. In una *Petrocoricen.* ad dub. III. quaer.: « Utrum in Missis quotidianis *de Requie*, quae in plerisque Ecclesiis parochialibus absque Ministris a solo Celebrante cantantur, dicendae sint tres Orationes, an vero una? » — Et die 13 Iulii 1883 S. C. rescripsit : « Dicenda una Oratio. »

Resp. *Minus est exactum asserere, nullam extitisse quaestionem super una Oratione tantum dicenda in Missis defunctorum privilegiatis. Verum quidem est si agatur de eiusmodi Missis quando cum cantu fiebant; sed ius non erat perspicuum quando eaedem Missae sine cantu dicebantur in semiduplici occurrente, modo primam tantum excipias die secunda Novembris agendam. Hoc autem Decretum praesens perspicue quoque declarat praedicans, in praefatis Missis sive cum cantu sive* lectis, *unam tantum Orationem esse dicendam.*

De una autem vel pluribus Orationibus dicendis in Missis cum cantu sine ministris indubium est disceptasse Rubricarum expositores; ac tandem quaestionem a S. R. Congne diremptam fuisse, declarante in Missa cum cantu, etsi sine ministris, non plures dicendas Orationes, sed unam tantum. Quid vero mirum, si praesens Decretum, re penitius considerata, diversam disciplinam statuat? Est autem certum ex Decreto, impraesenti in omnibus singulisque defunctorum Missis, nisi officio defunctorum duplici respondeant, plures dicendas esse Orationes, sive cantentur sive legantur, quamvis antea sufficeret pro una Oratione dicenda, ut Missa in cantu fieret. —

Ab hac tamen regula iuxta ipsius S. R. C. Decreta excipienda est Missa, quae prima die Mensis et Feria secunda cuiuslibet hebdomadae, si non impeditur, celebratur in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis. Ita in *Nucerina*

Paganor. ad dub. I, II et III S. Congr. die 19 Iunii 1875 respondit : « In Missis quotidianis de Requiem, quae solemniter cantantur, una tantum Oratio dicenda, *excepta prima die Mensis, et Feria II....* » (Cfr. alterum Decr. eiusdem S. Congr. d. 16 April. 1853 ad 22 in una *Ord. Min. S. Franc. de Observ.*)

Quare haec exceptio ? Haec tamen Missa quoque quotidiana de Requie est, et fieri potest cum cantu, et quidem cum Sacris Ministris. Nonne ratio haec est, *quia istae Missae non respondent Officio duplici, sed simplici, scilicet feriali,* ideoque non censentur *solemniter* celebrari iuxta Rubr. gen. Missal. tit. V. n. 3.? — Hinc iure merito dici potest: id quod praesens Decretum generale d. 30 Iunii 1896 quoad numerum Orationum edicit, iam anterius ab eadem S. Congregatione praescriptum fuisse.

Resp. *A regula generali, quae impraesenti mutata est, fuisse exceptam Missam primae diei mensis et feriae II cuiusvis hebdomadae indubium est; sed fallit cl. scriptor in ratione, quam allegat, huius exceptionis. Haec enim ratio in eo consisteret, quod dictae* Missae non respondent officio duplici occurrenti, sed simplici, scilicet feriali, ideoque non censentur **solemniter** celebrari iuxta Rubricam Missalis Tit. V, n. 3. *Falleris, inquam, optime Pater; namque eas Missas non respondere* officio occurrenti duplici *verum est; sed admittere quoque debes, eas nec respondere officio occurrenti* semiduplici, *quia secundum allatam Rubricam tam in duplici quam in semiduplici sunt prohibitae. Si ergo Paternitati Tuae concludere licet, eas non censeri solemnes, quia respondent officio occurrenti, in quo prohibentur, et mihi licebit inferre, Missas quotidianas, non solum cantatas, sed etiam lectas censeri solemnes, quia respondent officio occurrenti semiduplici in quo permittuntur. Video qui-*

dem, P. Tuam a semiduplici ritu prudenter abstraxisse, et de solo duplici fuisse locutam; sed velis, nolis, quod de duplici confessus es, et de semiduplici confiteri debes vi Rubricae Missalis, quam adduxisti. Quod si Paternitati Tuae non arrideat consectarium meum, scias nec mihi arridere principium tuum. Ex dictis infero tritum adagium: Quod nimis probat, nihil probat; ac proinde concludendum, comparationem institui non posse inter Missam diei primae mensis aut feriae II cuiusvis hebdomadae, et Missam quotidianam, cum unaquaeque propriis normis gubernetur. Hinc ratio exceptionis, nempe: ideo Missa primae diei mensis non censetur solemniter celebrari, quia non respondet officio duplici (*aut semiduplici occurrenti*) sed simplici, scilicet feriali, *est simpliciter falsa; sed de hoc iterum.* —

Sensus ergo Rubricae citatae iuxta anteriora Decreta et praesens Decretum generale d. 30 Iunii 1896 est sequens: Missa pro Defunctis tunc tantum censetur *solemniter* celebrari (extra Missas privilegiatas), quando celebratur *sub ritu qui duplici respondet*; et talis est Missa *cantata*, sive cum sive sine Ministris, quae in *duplicibus* celebratur. Dico « *Missa cantata* », quia Missa lecta *de Requie*, (de qua hic agitur) iuxta Rubricas et S. R. C. Decreta *in duplicibus* sine speciali indulto celebrari nequit. Sicut Missa itaque cantata, quae celebratur post acceptum nuntium de alicuius Obitu et in Anniversariis late sumptis (uti esse videntur ea privata aut non fundata, quae annue fiunt in die Obitus ad petitionem viventium), ita quoque Missa quotidiana *de Requie*, quae cum cantu celebratur *in duplicibus* vi indulti specialis, iuxta Rubricam gen. Missalis et praesens S. R. C. Decretum generale, *solemniter* censetur celebrari, ideoque in ea una tantum Oratio dicenda est, *quia istae Missae Officio ritus duplicis respondent.*

Resp. *Consectaria in hoc relato puncto contenta, eiusdem sunt naturae ac ratio superius allata, quae falsa est, et a qua descendunt. Et primo: falsum est sensum Rubricae et Decreti praesentis esse sequentem:* Missa pro defunctis tunc tantum solemniter celebrari censetur (extra Missas privilegiatas) quando celebratur sub ritu, qui duplici (**occurrenti**) respondet; *et talis est Missa* cantata, sive cum sive sine ministris, quae in duplicibus (**occurrentibus**) celebratur. *Ratio est, quia duplex occurrens nullam cum Missa de requie relationem habet, neque Missa de requie cum occurrenti officio, sed est prorsus extra ordinem officii. Quinimo, etsi aliqua admitteretur relatio, duplex occurrens non posset ullam tribuere solemnitatem Missae de requie, quippe qui eam prohibet, et solum indultum eam permittit. Secundo, si Missa cum cantu esset in casu solemnis, etiam solemnis foret Missa lecta; quia sicut illa, ita et ista ex indulto permitti potest: quod nemo concedit. Tertio, Missa quae canitur post acceptum nuntium obitus, uti quae canitur in Anniversariis late sumptis, censetur esse solemnis, quia S. R. C. eam aliquo privilegio ditat, et officio defunctorum sub ritu duplici respondet. Quarto de Anniversario stricte sumpto, etsi non fundato, non est facienda quaestio, quia eiusmodi dies privilegiatus est. Quinto, Missa quotidiana etsi cum cantu et ministris, nullo gaudet privilegio, licet in duplici occurrente indulgeatur; quia respondet officio defunctorum semiduplici, et non duplici.* —

3.° — Postquam S. R. C. praesenti Decreto gen. d. 30 Iunii 1896 explicavit, quonam sensu intelligenda sint Rubricae gen. Missalis (tit. V. n. 3.) verba illa: « **Et** (*dicitur nempe una tantum Oratio*) **quandocumque pro Defun-**

ctis solemniter celebratur », eadem S. Congregatio reliquorum verborum eiusdem Rubricae explicationem immediate addit. Verba Rubricae gen. Missal. in casu sunt, ut sequitur : « **In aliis Missis plures** (*dicendae sunt Orationes*), **ut de Feriis, et simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus** ». En autem explicationem praefatorum verborum, quam S. Congregatio suo Decreto generali d. 30 Iunii 1896 nobis tradit : « *In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures sunt dicendae Orationes...* »

Porro dicta Rubricae verba satis manifeste loquuntur de Missis privatis seu quotidianis *de Requie*, quae cum vel sine cantu celebrantur et **Officio semiduplici vel simplici respondent** ; in his enim Missis quotidianis *de Requie* servandam esse quoad numerum Orationum eamdem regulam, ac de Feria et simplicibus, seu semiduplicibus Rubrica ipsa praescribit : « *In aliis Missis plures, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus.* » — Sicut ergo Rubrica hic loquitur de eiusmodi Missis privatis seu quotidianis *de Requie*, ita de eiusdem Missis Defunctorum intelligenda sunt verba praesentis S. R. C. Decreti generalis, quae dicta Rubricae gen. Missalis verba declarant et explicant. Sensus itaque verborum, quibus numerus secundus praesentis S. R. C. Decreti generalis incipit, est sequens : *In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu,* **quae Officio semiduplici vel simplici respondent**, *plures sunt dicendae orationes.*

Resp. *Super dictis a cl. scriptore duo tantum hic animadvertimus : primum circa unam Orationem dicendam* **quandocumque solemniter celebratur** : *alterum super verbis* to **solemniter** *explicantibus, videlicet :* **nempe sub ritu qui duplici respondeat** ; *interpretatio enim, quam auctor exhibet, dictorum verborum, a veritate aliena est, hinc et ultima conclusio falsa.*

Itaque lex habet: « *Unam tantum esse dicendam Orationem...* QUANDOCUMQUE PRO DEFUNCTIS MISSA SOLEMNITER CELEBRATUR, NEMPE SUB RITU QUI DUPLICI RESPONDEAT, *uti in Officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu etc.* » *Nemo autem hic non videt, verbum* solemniter, *et sequentia* nempe sub ritu qui duplici respondeat, *maximam inter se relationem dicere: haec enim ultima verba primum explicant, uti patet ex adverbio* « *nempe* ». *Ergo illa Missa de requie pro defunctis* solemniter *celebratur, quae* officio duplici *respondet. Porro quomodo intelligi debeat, seu cuius sit naturae* officium ritus duplicis, *satis superque patet ex sequentibus verbis* uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu; *est enim exemplum, studio in lege positum ad naturam officii designandam: idem de alio exemplo dicas. Atqui eiusmodi officium nonnisi defunctorum esse potest, cum a saeculo inauditum sit, pro defuncto in die vel pro die obitus vel anniversaria recitari officium de festo occurrente. Ergo Missa de requie tunc* solemniter *celebrari censetur, vi praefati Decreti, cum respondet* officio defunctorum ritus duplicis. *Neque interest, si officium omittatur, sed sufficit ut ritu duplici fieret, si diceretur, seu satis est ut dici valeat sub ritu duplici. Cum autem Missa quotidiana, sive lecta, sive cantata, sive etiam cum ministris, officio duplici defunctorum nunquam respondere queat, sed tantum eidem officio semiduplicis ritus, manifesto fluit, eam Missam nunquam posse censeri solemnem, consequenter in ea plures esse semper dicendas Orationes. Quod ceterum ipsum Decretum explicite ponit in num. II, videlicet:* « *In Missis quotidianis* quibuscumque.... *plures esse dicendas Orationes.* » *Quod ergo lemma cl. auctor in*

ultima propositione addit, hoc est, quae officio semiduplici vel simplici respondent, *in sensu Decreti sunt prorsus inutilia, si referantur videlicet ad officium defunctorum: in sensu vero auctoris sunt falsa. Inutilia sunt in sensu Decreti; quiae Missae quotidianae nonnisi officio defunctorum sub ritu semiduplici respondere valent: falsa sunt in sensu scriptoris: quia nec possunt nec debent respondere officto semiduplici occurrenti.*

Ergo pars primae allatae conclusionis falsa est: adeo ut quamvis Missa quotidiana de requie celebretur cum cantu etiam cum ministris, et ex indulto fiat quando ritus duplex occurrit, plures semper habere debeat Orationes. —

Conclusio: In Missa quotidiana *de Requie*, quae cum cantu celebratur in *duplicibus* vi indulti specialis, una tantum Oratio dicenda est, conveniens conditioni personae vel personarum, pro qua vel pro quibus dicitur Missa. In Missis vero quotidianis de Requie, *quae Officio semiduplici vel simplici respondent*, licet cum cantu et Sacris Ministris celebrentur, plures dicendae sunt Orationes, modo et Ordine, quo n. II, III et IV praesentis S. R. C. Decreti generalis indicant, et cl. Cai. M. Merati iam edocuit (in suis *Nov. Observat. et Addit. ad Gavant. Comment. in Rubr. Missal. tom. I. P. I. tit. V. n. XII.*)

Resp. *Conclusio proinde vera, ex iisdem fere verbis decreti accepta, sequens est: In Missis quotidianis* **quibuscumque** (ergo in illis etiam quae vi specialis indulti celebrantur in duplici), *sive lectis sive cum cantu, plures dicendae sunt Orationes.* » *Argumentandi autem ratio cl. auctoris nec potest nec debet admitti, utpote falso principio innixa et a veritate absona.* —

Art. 2.

Quidam hic fortasse obiicient quod verba Decreti generalis S. R. C. d. 30 Iunii 1896, puta « quandocumque pro Defunctis *solemniter* celebratur, nempe *sub ritu qui duplici respondeat*, respiciant *ritum duplicem ipsius Officii Defunctorum*, non autem ritum duplicem Officii diei currentis ; proindeque hic quaestio esse nequit de Missa quotidiana de Requie, quae *in festis duplicibus* vi indulti specialis decantatur.

Respondeo 1.° — Quamvis Officium diei currentis, etiam si sit duplex, in Missam pro Defunctis *directe* non influat, ita ut illud huic aliquam solemnitatem per se conferre nequeat, quum Missa de Requie in casu consideranda sit ut non concordans cum Officio seu extra ordinem Officii celebrantis ; *indirecte* tamen Missa de Requie, quae *in festis duplicibus*, sive vi Rubricarum sive vi indulti specialis, celebrare licet, indicat hoc fieri ratione cuiusdam solemnitatis, quae tali Missae annexa esse censetur, seu quacum haec Missa celebratur.

Et sane, qua alia de causa permittitur a Rubricis et S. R. C. Decretis Officium cum Missa Defunctorum in die Obitus seu Depositionis, in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario, etiamsi occurrat festum duplex, quibusdam exceptis ? Nonne hoc conceditur ratione cuiusdam solemnitatis, qua hisce diebus Missa et Officium Defunctorum celebrantur ? — Insuper, si *festa duplicia* iure in Rubricis ita solemnia considerentur, ut Missas quotidianas de Requie per se excludant ; item si v. gr. in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum festum duplex maius nimis solemne censeatur pro repositione eiusdem Officii in dicta die, si alius dies liber per annum non supersit, quis tunc sustinere audebit Missas Defunctorum, in festis du-

plicibus permissas, sive vi Rubricarum aut Decretorum S. R. C. sive vi indulti specialis, nullam solemnitatem in sensu Rubricae Missalis (tit. V. n. 3.) praeseferre, nec in se continere ?

Resp. *Quod Missa de requie in duplicibus permissa indicet indirecte aliquam solemnitatem,* **transeat**: *quod sit ea ratione solemnis, qualem Decretum praesens exigit, absolute negatur. Solemnitas enim quam lex requirit, est ritus duplex, sub quo recitari debet aut potest officium defunctorum, quocum Missa relationem dicit. Hoc ergo ritu duplici deficiente, deficit et Missae solemnitas. Ergo responsio nulla est, et difficultas obiecta transit in veritatem, quam debemus sequi. Inferes, Missam cum cantu, etiam sine ministris sacris, posse solemnem quodam sensu dici, maxime comparatione facta cum Missa lecta. A fortiori quoque Missa cantata cum ministris sacris ad solemnes pertinet, et solemnis toto iure appellatur. At, hisce haud obstantibus, huiusmodi solemnitas non potest considerari in casu nostro, sicut considerari nequit quod attinet Missas votivas, ad quas Missae de requie reducuntur.; eae enim quoad unicam Orationem, sive sint cum cantu solum, sive etiam cum ministris, nunquam censentur solemnes iuxta Rubricas, nisi sint pro publica Ecclesiae causa, seu pro re gravi. Ita Missae pro defunctis, etsi cum cantu aut etiam cum Diacono et Subdiacono, nunquam censentur esse solemnes quod unicam attinet Orationem, nisi officio pro defunctis duplici respondeant.*

Quod autem ritus occurrens influat saltem indirecte in solemnitatem Missae de requie, diximus, **transeat**; *eo quod nonnisi quadam cum difficultate*

admitti valet; sed nihil contra veritatem quam defendimus inferri ex eo posset. Aliud enim est, ritum duplicem occurrentem indicare solemnitatem Missae de requie; aliud est eiusdem Missae solemnitatem constituere: ut ex eo argui nequeat Missam ex ritu duplici occurrente evadere solemnem. Ritus ergo occurrens indicat, sed non facit Missam de requie solemnem. Motivum formale solemnitatis est potius ipse dies obitus, sive dies III, VII, XXX et anniversaria etc. qui vere Missam de requie plus minusve solemnem faciunt, ut lex hos dies velit plus minusve privilegiatos. —

Respondeo 2.° — In supposito, quod praefata verba Decreti Generalis S. R. C. d. 30 Iunii 1896, « *nempe sub ritu qui duplici respondeat* », dumtaxat respiciant *ritum duplicem ipsius Officii Defunctorum*, ita ut illae Missae de Requie tantum *solemniter* celebrari censendae sint, quando fiant diebus, quibus Officium Defunctorum *sub ritu duplici* recitari potest, eo in casu etiam Missam quotidianam de Requie, quae cum cantu celebratur in duplicibus vi indulti, iuxta Rubricam Missalis (tit. V. n. 3.) et citatum Decretum S. R. C. generale, solemniter celebrari autumo; ideoque in ea una tantum Oratio dicenda est.

Certum est ex Rubrica Ritualis Romani (tit. VI. c. V. n. 1.) et Decreto S. R. C. sub die 8 Martii 1738 ad 3 (apud Gardellini n. 4072) sub *ritu duplici* Officium Defunctorum dicendum esse in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in die Obitus seu Depositionis Defuncti, et in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario, sive unum aut tria nocturna recitentur.

Nullum dubium est in istis diebus privilegiatis Missam Officio ritus duplicis Defunctorum correspondentem *solemniter* celebrari.

Sed hic inquirendum est, utrum, praeter praefatos dies privilegiatos, alia Officia pro Defunctis sub *ritu duplici* recitanda sint, proindeque in Missa, eiusmodi Officio correspondenti, una tantum Oratio dicenda sit.

Iam ante Decretum generale d. 30 Iunii 1896 quidam auctores, uti Guyetus, Cavalerius, A Carpo et Dr. P. Piacenza (*Vide Ephemerides Liturg. vol. III, pag. 456*) sustinuerunt etiam sub *ritu duplici* Officium Defunctorum esse recitandum « *Quotiescumque* **solemniter** *Officium celebretur pro uno vel pluribus Defunctis;* » idque intulerunt e Rubrica Missalis (tit. V. n. 3) et ex usu plurium Ecclesiarum.

In praesenti vero certum est praeter praefatos dies privilegiatos alia Officia pro Defunctis dari, quae sub *ritu duplici* recitanda sunt; et proinde in Missa, eiusmodi Officio correspondenti, unam tantum Orationem esse dicendam. Sacra enim Rituum Congregatio Decreto generali d. 30 Iunii 1896 declarat: *Missam pro Defunctis, extra privilegiatos dies, tunc* **solemniter** *celebrari quando celebratur sub ritu qui duplici respondeat,* et talis censetur iuxta eamdem S. Congregationem Missa v. gr. quae celebratur post acceptum nuntium de alicuius Obitu, et Missa in anniversario late sumpto. En duo exempla quae S. R. C. ipsamet in medium affert ad indicandum quando Missa extra privilegiatos dies Officio Defunctorum ritus duplicis respondeat et *solemniter* celebrari censeatur.

Resp. *Quamvis falsa sit prima propositio, qua cl. scriptor asserit, eo pro officio duplici officium defunctorum sit intelligendum* (**ista revera est**), *nihilominus unam tantum Orationem esse dicendam in Missis quotidianis de requie quae cantantur ex indulto in duplicibus, admitti non potest: nihilominus reliqua quae disserit vera sunt, sed expectanda propositionis suae demonstratione.* —

Hic autem imprimis notandum est, anniversaria *stricte* sumpta (seu quae privilegiata censentur) in praesenti esse, sive illa quae fundata sunt a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive illa privata quae fiunt pro die obitus ad petitionem viventium (S. R. C. d. 2 Decembris 1891 *apud Caeremoniale Romanum-Seraphicum Caput. n. 995 et seq.*). — Anniversaria vero *late* sumpta (de quibus loquitur S. R. C. in Decreto gen. d. 30 Iunii 1896) iuxta *Ephemerides Liturgicas* (*vol. XI, pag. 358 et 531*) sunt illa quae piae Communitates, uti Capitula, Congregationes, Confraternitates etc., die fixa vel mobili celebrare solent. « Dicta anniversaria, aiunt *Ephemerides Liturg.* (ibid. pag. 532) appellari posse *late* sumpta non est dubitandum; quia anniversaria communiter appellantur, et nihilominus omnibus privilegiis, quibus gaudent vera anniversaria, certo non fruuntur. Pro anniversariis autem *late* sumptis, de quibus in citato Decreto, hanc anniversarii speciem intelligi, certa nobis scientia constat. » Insuper eaedem *Ephemerides* (*ibidem*) addunt : « Cum eiusmodi anniversarium (late sumptum scilicet) nonnisi improprie eo nomine appelletur, non est dicenda Oratio pro anniversario proprie dicto determinata ; quia ipsamet Missa non est de anniversario dicenda, sed *quotidiana*. Constat ex decreto in *Cadurcen.* d. d. 9 Maii 1857 ad III, quod agit de anniversariis non proprie dictis, et statuit Missam quotidianam iis in casibus dicendam ; ergo neque Orationem de anniversario sumendam, sed aliam magis convenientem, uti *Fidelium Deus*, vel *Deus veniae largitor* ».

Anniversaria ergo *late* sumpta, pro quibus Missa *quotidiana* de Requie est adhibenda, fiunt iuxta ipsius S. R. C. Decretum gen. d. 30 Iunii 1896 *sub ritu qui duplici respondeat*, et in sensu Rubricarum *solemniter* celebrari considerantur ; ideoque in iis una tantum Oratio est dicenda. Ex quo iure infertur non in *quibuscumque* Missis

quotidianis de Requie tres Orationes esse dicendas, sed quoad huiusmodi Missas distinctionem esse faciendam, nempe utrum praefatae Missae cum sufficienti solemnitate in sensu Rubricae, celebrentur, seu respondeant Officio duplici vel semiduplici aut feriali.

Resp. *Omnia, quae hic exponit cl. scriptor, ad hanc argumentationem rediguntur: Anniversaria late sumpta respuunt in Missa Orationem anniversarii, sed in iisdem Oratio alia dicenda est; quinimo ex Decreto in* Cadurcen. *legenda est Missa quotidiana. Atqui eiusmodi Missa unam tantum Orationem habere debet. Ergo etiam Missa quotidiana censetur quandoque solemniter celebrari. Sed iterum fallitur cl. scriptor; quia ex eo quod Missa non ferat Orationem propriam anniversarii stricte sumpti non sequitur, illam esse ex quotidianis, nisi in* materialitate *verborum sistas. Quatuor enim Missae defunctorum quae in Missali prostant, severius loquendo, in sola Oratione vel Orationibus differunt, reliquae autem partes, si non sunt, certe vi Rubricarum esse possunt semper eaedem. Materialiter ergo Missa anniversarii late sumpti est quotidiana, sed quoad Orationes differt ab illa; unicam enim ista Orationem habere debet. Praeterea haec dicitur pro anniversario, licet late sumpto; et, quod magis praestat, officio defunctorum sub ritu duplici respondet. Erga dicta Missa ex solemnibus est, seu censetur solemniter celebrari, consequenter non est* formaliter *quotidiana. Haec enim et plures Orationes habet, et semiduplici ritui vel inferiori respondet. Stat ergo intacta Decreti regula, vi cuius* in Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cantatis, plures sunt dicendae Orationes; *quia Missa de Anniversariis late sumptis, quae unicam habet Orationem, licet sumatur e quarto formulari, nihilominus quotidiana dici nequit.*—

Praeterea, si anniversaria *late* sumpta, quae iure praesenti in duplicibus adhuc vetita videntur, iuxta citatum

S. R. C. Decretum ita solemnia censeantur ut pro iis in Missa quotidiana una tantum Oratio dicenda sit; quis ergo sustinebit Missas quotidianas de Requie, quae vi indulti specialis in *duplicibus* decantari permittuntur, in sensu Rubricae non sufficienter *solemniter* celebrari censeri, ita ut in iis non una, sed tres Orationes dicendae sint? Hoc mihi omnino improbabile videtur.

Salvo itaque meliori iudicio, opinio mea est: in Missa quotidiana de Requie, quae cum cantu *in duplicibus* vi indulti specialis celebratur, unam tantum Orationem esse dicendam.

Resp. *Nunc sequentes pro responsione subiicimus conclusiones, omnino certas atque in praxi tenendas.*

I. Verba Rubricae Missalis circa unicam Orationem dicendam quandocumque solemniter celebratur *Missa de requie, aliqua laborabant obscuritate. In primis editionibus dicti codicis sub S. Pio V eiusmodi verba non habebat Rubrica, addita postea fuerunt. Non omnes quidem auctores super eorum interpretatione conveniunt, uti Cavalerius ex. gr. qui to* solemniter *explicat tam pro ritu duplici in quo Missa defunctorum permittitur, quam pro exteriori pompa qua Missa canitur* (Tom. III, Decr. VII et VI). *Hanc interpretationem, quae pro prima parte cl. scriptori nostro favet, praesens Decretum non admittit, sed implicite respuit docens, Missam de requie* solemniter *tunc tantum celebrari quando ritui duplici officii defunctorum respondet, uti superius demonstratum est. Et sapienter, cum ita quoque doceant Meratus* (Adn. in Gavant. Pars I, Tit. V, Rubr. 3, n. 12), *Quartus* (Pars I, Tit. V, n. 3), *et Guyetus* (Lib. IV, Cap. XXIII, quaest. 29). *Quae nunc sententia pro veritate habenda est.*

2. *Missa de requie respondens* ritui duplici *confundi non debet cum illa quae* in duplici *permittitur; haec enim esse potest vel* solemnis *vel non: illa e contra semper est vel censetur* solemnis *iuxta Rubricas. Ceterum*, ritus du-

plex, *cui Missa de requie respondet, pertinet ad officium defunctorum*, ritus autem duplex, *in quo Missa de requie permittitur, pertinet ad officium occurrens: de illo Decretum praesens loquitur, nihil vero de isto.*

3. *Anniversaria late sumpta, iuxta Cavalerium* (Tom. III, cap. VII, Decr. I, n. IV) *permissa antiquitus erant in duplici min. et nunc quoque indubie permissa sunt, ad minus ex recentiori iure; hinc Decreta in contrarium revocata censenda sunt.*

4. *Prima Oratio in his Anniversariis, hodie et maxime post praesens Decretum gen., respondere debet animae vel animabus, pro quibus illud sacrificium offertur; Oratio nihilominus Anniversarii propria minus videtur congruere, cum severe loquendo, Anniversaria non sint.* —

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Hollandia.* **Super Anniversario Dedicationis Ecclesiae.** S. R. C. 19 Sept. 1850 decrevit Anniversarium Dedicationis Ecclesiae *Cathedralis* ab universo clero saeculari ritu dup. 1. cl. *sine* octava, in civitate vero episcopali ritu dup. 1 cl. *cum* octava celebrari debere.

Quaeritur an legitima sit consuetudo, iam a pluribus quam quadraginta annis in Dioec. nostra existens, iuxta quam omnes in Dioecesi Ecclesiae, quae *consecratae non sunt*, anniversarium Dedic. Eccl. *Cathedralis* celebrant ritu dup. 1. cl. *cum* octava ?

Resp. Ex Dubii expositione facile arguitur, ideo dictas Dioecesis Ecclesias Dedicationem celebrare Ecclesiae Cathedralis cum octava, quia consecratae non sunt. Consequenter,

sicut nullum celebrarent Dedicationis Ecclesiae festum cum octava, (propria enim Ecclesia, cuius Dedicatio haberet ius ad octavam, est tantum benedicta) usus invaluit celebrandi cum octava saltem Dedicationem Ecclesiae Cathedralis. En noster iudicandi modus. Iure liturgico inspecto, id non licet ; quia recentiora Decreta explicite docent, Dedicationem Ecclesiae Cathedralis in civitate tantum episcopali esse celebrandam sub ritu dup. 1. cl. cum octava ; sed extra civitatem, sub eodem tantum ritu sine octava.

Nihilominus in casu agitur de sola octavae additione, non de mutatione ritus: hoc autem certe magis esset quam illud, quod proinde tolerandum nobis videtur. Sicut enim vi iuris ab octava Dedicationis Cathedralis Ecclesiae dispensantur Regulares in civitate Episcopali degentes et ab aliis octavis, quas clerus saecularis agit, ratione octavae sub qua celebrant alia festa, et maxime festum Sancti proprii Fundatoris ; ita, ex contrariorum ratione, Ecclesiae benedictae tolerandae videntur in celebranda octava Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, utpote quae nullam aliam de Dedicatione octavam agunt. Arroges consuetudinem quadraginta annorum et ultra, quae dictam celebrationem magis quoque tolerandam ostendit. Si tamen S. R. C. consuleretur, consultius foret, quum facile arbitramur cohonestaturam esse eamdem consuetudinem.

II. *Ex eod. loco.* **Super eadem materia.** Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in hac Dioecesi celebratur in Dominica inf. oct. Ascensionis. Quum autem anno sequenti ante mensem Aprilem structura *novae* perficiatur Ecclesiae *Cathedralis,* huiusque consecratio verosimiliter ante Dominicam infr. Oct. Ascensionis eiusdem anni futura sit, quaeritur :

1. Utrum in casu *anniversarium* Dedicationis Ecclesiae Cathedralis pro hoc anno omittendum sit ?

2. A quibusnam, in ipso die consecrationis *novae* Ec-

clesiae *Cathedralis*, Officium Dedicationis recitari debeat ?

Resp. ad 1. Dedicatio Ecclesiae Cathedralis celebranda est ab aliquo Clero ea tantum de causa, quia illi est adscriptus, ad illamque pertinet. Ergo, *nova* Ecclesia Cathedrali constructa et consecrata, cessat obligatio celebrandi anniversarium Dedicationis *antiquae ;* quia illi , non amplius huic, clerus manet addictus, et eo ipso cessat addictus esse *antiquae* , quo *novae* consecratae addicitur. Consequenter anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis amplius a clero illius non est celebrandum : non hoc anno , quo nova celebratur Dedicatio: non in sequentibus, quia clerus ad illam non pertinet amplius.

Definita ceterum res est per Decretum *Bossanen.* 23 Mart. 1771 ad 10, quo inquiritur : « Cum ab ecclesia S. Petri olim Cathedrali et adhuc stante, ius cathedralitatis ad aliam Ecclesiam nuper aedificatam fuerit legitime translatum ; an officium Dedicationis praefatae veteris Cathedralis recitandum sit per totam dioecesim , vel saltem a Clero eidem Ecclesiae addicto ? » Responsum est autem : « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.»

Resp. ad 2. Dictum autem festum Dedicationis novae Ecclesiae Cathedralis celebrandum est *a clero tantum servitio Ecclesiae strictim adscripto*, ita disponente Decreto in *Gratianopolitana* 23 Maii 1835 ad 1.

III. *Ex eod. loco.* **De lectionibus II Nocturni infra quamdam octavam.** Quaenam lectiones 2.i nocturni recitandae sunt in diebus infra oct. alicuius Sancti, qui cum octava colitur, si in Breviario habeatur sine octava ?

S. R. C. 12 Febr. 1884 declaravit : « Diebus infra octavam in defectu Lectionum Octavarii Romani, lectiones 2i n. pro 2.° die erunt de communi 1.° loco , pro 3.° die de eodem communi 2.° loco, si exstent; secus de die festo, atque ita alternatim usque ad diem octavum ».

Intelligenda sunt haec verba in hoc sensu : Lectio-

nes 2ⁱ nocturni pro 2.° die erunt de communi 1° loco, pro 3.° die de eodem communi 2.° loco si exstent (scilicet, si exstent de communi *2.° loco*); secus (scilicet, si non exstent, de communi 2.° loco) pro 3.° die erunt de die festo, atque ita alternatim, ita ut, casu quo lectiones de communi 2.° loco non habeantur, e. g. pro Doctoribus, 2.° die infra oct. legantur de communi, 3.° die de festo, atque ita alternatim ?

Resp. Affirmative, neque alius esse potest sensus responsionis ; idque statuitur, ne eaedem singulis diebus iterentur, sed aliqua, possibilis nempe, detur varietas.

IV. *Ex cod. loco.* **De Octava S. Petri ad Vincula privilegiata.** Festum S. Petri ad Vincula, Titulus alicuius Ecclesiae, celebratur cum octava. Quaeritur an dies Octava huius festi eodem fruatur privilegio in concursu cum aliquo duplici, ac festa Apostolorum ?

Resp. Citra dubium affirmative ; quia licet festum S. Petri ad Vincula sit *per se* secundarium, est nihilominus *per accidens* primarium in casu, quia Titularis.

V. *Ex cod. loco.* **De Commemoratione officii votivi in Missa non correspondenti dicto Officio.** In die libera recitans officium votivum per annum, debetne in Missa votiva non correspondenti officio, e. g. de SS^mo Corde, commemorationem facere officii sui votivi? Et, si affirmative, quonam loco?

Resp. ad 1. Affirmative; et declaratum est in una *Strigonien.* die 30 Aug. 1892 ad VIII.

Resp. ad 2. Officii autem votivi quod actum est commemoratio, locum habet post Orationem diei, ante reliquas, quae recitari possint, ab Ordinario imperatas, pertinent enim ad ordinem officii. Item ante eas, quas addere Sacerdos ad libitum posset vi Rubricarum.

VI. *Ex cod. loco.* **De quibusdam additionibus ad lectiones II. Nocturni.** Additiones ad lectionem VI^am Officii Matutini festorum Ss. Vincentii a Paulo, Ioannis de Deo, Camilli de

Lellis et aliae, a S. R. Congregatione factae, suntne statim pro omnibus obligatoriae proindeque ab Episcopo divulgandae, an potius quisque exspectare potest donec insertas inveniat in nova editione Breviarii ?

Resp. 1. Nullum impositum scimus Episcopo onus divulgandi mutationes in Breviario factas.

2. Eo ipso, quo mutatio aliqua in Breviario ponitur ab Auctoritate, obligat omnes, qui ad Horas canonicas tenentur.

3. Nihilominus non eo ipso unusquisque ad novam sibi comparandam Breviarii editionem adigitur ; sed meliori modo, opportuniorique tempore, curare debet ut mutationes aliqua ratione, qua poterit, in suo Breviario inserat.

VII. *Ex eod. loco.* **De concurrentia Dedicationis Ecclesiae atque Tituli.** Ubi occurrunt Dedicatio propriae Ecclesiae et Titulus, licetne cantare Missam votivam solemnem de Titulo ?

Resp. Negative, iuxta Titulum VI Rubricarum Generalium Missalis, in quo exceptio , de qua in casu , nunc posita est. Haec mutatio quamprimum cum aliis apparebit.

VIII. *Ex eod. loco.* **De concurrentia duarum octavarum inter se.** Concurrentium dierum infra oct. S. Laurentii vel Ss. Angelorum Custodum cum die inf. oct. alicuius Sancti v. g. S. Clarae , tituli Ecclesiae , quaenam habet praeferentiam ?

Resp. Praeferendus indubie Titulus Ecclesiae , quippe qui seu ratione ritus , seu ratione solemnitatis , ad festa localia solemniora pertinet, quae solis cedunt festis solemnioribus universalis Ecclesiae, sicut in die festi, ita et in tota octava, ceteris paribus.

IX. *Ex eod. loco.* **De lectionibus II. noct. Ss. Ursulae et Soc.** Ab immemorabili tempore in Dioecesi recitatur Officium Ss. Ursulae et Soc. Mart. ; daturne *decretum* et

quale, quo prohibentur lectiones *propriae* 2ⁱ nocturni, et praescribuntur pro omnibus et ubique lectiones quae in typica editione inter Officia particularia prostant ? (Cfr. *Eph. Lit.* 1897 pag. 307. V).

Resp. Decretum ad rem existere non credimus; nihilominus stat monitum, de quo in citato loco *Ephemeridum*. Ceterum Editio typica est in gratiam omnium, qui ad Horas canonicas tenentur, quique illi se conformare tenentur.

X. *E Gallia.* **De occursu inter festum Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli ac festum cuiusdam Sancti duplicis maioris ritus, et primarium.** Antequam Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli eveheretur ad ritum duplicem maiorem, festumque primarium et dominicum declararetur: apud nos translata fuit e die 18 Novembris, in primam sequentem diem liberam, ob occursum festi cuiusdam Sancti, quod erat duplex maius et primarium. Quid agendum impraesenti ?

Resp. Quod antiquitus factum fuit, regulis liturgicis apprime consonabat, et adm. Rev. consulens de hoc non dubitat. Ex dictis sane duobus festis occurrentibus Dedicatio, ut a reliquis praescindamus, inferioris erat, alterum festum superioris ritus; ergo, iisdem una die occurrentibus, Dedicatio transferenda erat, faciendum de altero festo. Tantummodo animadvertimus, dari potuisse casum, quo festum praefatae Dedicationis celebrari prae altero debuisset. Casus fuisset, si Dedicatio, quae diem 18 Novembris pro die sua habet veluti natalem, tempore fuisset anterior ; et alterum festum, licet superioris ritus non habuisset praedictum diem 18 pro die sua natali, sed aut quasi-natali, aut reposita seu in perpetuum translata. Hac namque in hypothesi, e die 18 Nov. amovenda non fuisset Dedicatio, quae die sua recolebatur ; sed Sanctus potius erat in primam diem sequentem reponendus. Quia dies na-

talis magis est quam quasi-natalis, et a fortiori magis quam dies assignata.

Quidquid vero sit de hac exceptione, de qua fortasse nihil scitur atque ipsemet adm. Rev. consulens dicere fortasse nil potest, impraesenti negotium alia ratione componendum. Ex una enim parte certum est, diem aliquam dici quodammodo posse impeditam, pro festo in ea celebrando, vel absolute vel relative. Ita ex. gr. absolute impedita tenenda est dies 8 mensis Decembris, uti dies 25 eiusdem mensis etc. pro quocumque festo, quod dictis diebus celebrari nunquam potest, cum in Ecclesia universa hi dies impediantur festo solemniori, quod aliis quibuscumque praevalet. Relative impedita illa dies dici potest, in qua festum aliquod recolitur ritu duplici 1. classis inferius, vel etiam duplex 1. cl. non tamen ex solemnioribus, sive universalis sive particularis Ecclesiae. Ita ex gr. dies 8 Sept. relative impedita est ob festum Nativitatis Deiparae in universa Ecclesia ea die recolendum; sed pro Ecclesia S. Hadriani Titularis, est libera, in eaque de hoc festo agendum est, et Nativitas alia die assignanda. Dies 10 Martii impedita relative est ob festum Quadraginta Martyrum in universa Ecclesia sub ritu semiduplici recolendum; sed libera est pro Ecclesia, quae celebrat S. Victorem Martyrem sub ritu duplici etc. etc. Ex alia vero parte indubium est, diem natalem dici et esse vere proprium illius Sancti, qui in ea passus est, vel ad caelestem migravit vitam; adeo ut, si fieri possit, illius festum illa, non alia die, celebrari debeat, et applicari iure possit notum principium: Res clamat ad Dominum.

Porro dies 18 Novembris in casu impedita est quidem non absolute, sed relative tantum; ergo libera esse potest pro alio festo in ea reponendo. Iam nunc utrumque festum comparativo studio examinandum est iuxta normas in recentiori generali Decreto a S. R. Congregatione traditas.

quas sequendas esse eadem S. C. iubet. Itaque habemus duo festa, ante omnia, quorum utrumque die sua natali occurrit; et insuper eiusdem est ritus; qua duplici ratione inspecta, qui prior est tempore, potior est iure: ut Sanctus in casu iure celebretur, et Dedicatio transferatur. Habemus praeterea in utroque qualitatem primarii, et iuxta hanc rationem idem quoque agendum esset, quod mox diximus. At declaratum quoque est, Dedicationem Ecclesiae esse festum Domini, quod in casu in altero ex duobus festis comprobatur, in altero autem non comprobatur, uti patet ex exposito Dubio. Ergo omnia sunt paria, dignitate excepta, quae in altero potior est prae altero. Atqui iuxta normas, quas Gen. Decretum tradit, ex duobus festis eadem die occurrentibus, quorum alterum est altero dignius, et reliqua sunt paria, illud quod est dignius celebrandum est; et minus dignum est transferendum. Ergo in casu nostro die 18 Novembris agendum est de Dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli, et prima insequenti die libera reponendum est aliud festum de Sancto.

Opponi huic conclusioni posset festum de Sancto, quatenus esset magis proprium. Atqui oppositio huiusmodi vim non possidet, quia maior festi proprietas sequitur, non praecedit potiorem dignitatem. En statuta norma, quam ad litteram referre iuvet: « Si duo festa alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut quasi-natalitia, *ceteris paribus*, illud celebretur, istud vero in primam diem liberam perpetuo transferatur iuxta Rubricas. *Ceteris* vero *non paribus*, si alterum prae altero sit potioris ritus, praeferatur illud quod ritu nobiliori gaudet. In paritate ritus, si unum sit primarium, aliud secundarium, illud huic praeferatur. Si ambo primaria fuerint vel secundaria, *dignius minus digno praeferatur*, iuxta ordinem in Rubricis praescriptum tit. X, n. 1, et XI, n. 2. Si denique utrumque fuerit eiusdem digni-

tis, **festum magis proprium loci minus proprio praeferatur.** (*V. Ephem. Liturg. 1897, pag. 210, II*). » Ergo Dedicatio, rite antiquitus translata, restituatur impraesenti diei suae et alterum festum illic reponatur, ubi assignata fuerat Dedicatio.

XI. *E Germania.* **De Anniversariis, quae talia non sunt.**

1. In hisce regionibus saepe Anniversaria fundantur non pro die obitus neque pro alio certo die anni, sed pro certo *mense*, e. gr. pro mense decessus Defuncti. Causa est, quod propter multa alia Missarum onera, quae adsunt vel adveniunt, Anniversaria, etiamsi pro certa die fundata essent, in ipsa nihilominus perraro celebrari possent.

Quaeritur, utrum dicta Anniversaria gaudeant privilegio unius Orationis necne?

2. Saepe consanguinei pro Defuncto, pro quo Anniversarium non est *fundatum*, circa redeuntem obitus diem, sed non in ipsa die obitus, iuxta commoditatem suam Missam cantatam de Requie, quam dicunt Anniversariam, exposcunt.

Quaeritur: a) Utrum talis Missa Anniversarium, saltem late sumptum, dici possit necne? b) Quae et quot Orationes sint sumendae?

Resp. 1. Tam antiqua Decreta, quam recentius, quod illa resumit et ampliat, explicite favent Anniversariis perpetuo alia ab obitu die statutis, vel a testatore vel ab eius haeredibus. Adeo ut, vi legis, eiusmodi Anniversaria vere sint *talia*, omnibusque iuribus gaudeant et privilegiis, quae Anniversariis die vera obitus concessa sunt. Ratio est, ni fallimur, quia testatores eorumque haeredes sunt in casu *interesse* habentes, ac proinde lex illis favet, ius concedendo ut die alia ab obitu anniversaria, pro semper tamen, testatores, vel qui illis sufficiuntur haeredes, statuere valeant. Hinc Decretum Gen. alibi relatum, saltem quod attinet dispositiones in eo contentas, explicite nominat An-

niversaria *a testatoribus fundata* pro die obitus aut *alia determinata die, et privata* ad petitionem viventium *pro sola die obitus;* sed de Anniversariis, sive perpetuis sive non, pro die alia indeterminata lex silet omnino. Quomodo ergo licebit ita interpretari Decretum, ut comprehendat etiam Anniversaria prorsus indeterminata quoad diem, in qua celebrari debeant? Arroges, momentum allegatum pro indeterminatione, favere ad summum posse Anniversarii certa die statuti translationi; sed qua ratione favere possit incertae diei, nos intelligere non valemus. His perpensis, facile sequitur, Anniversaria pro aliqua mensis die statuta, quae nempe sit libera, vere Anniversaria non esse, saltem si stricto sensu accipiantur.

Sed neque ratio suppetit, ut saltem lato sensu Anniversaria considerari queant. Eiusmodi enim sunt illa, quae a piis Communitatibus semel in anno solent fieri, et quae die determinata ex consuetudine celebrantur. Iam nunc ista etiam Anniversaria pro aliquo mense statuta non cognoscimus; sed quantum scimus eadem semper anni die semel statuta recurrunt et satisfiunt.

Quid ergo concludendum, nisi eiusmodi Anniversaria hoc nomine appellari non posse, vi legis inspecta? Quod si allata momenta, quae profecto spernenda non videntur, quid probant, unum est: casum esse privilegii petendi. Interim, cum illis Decreta non faveant, consequitur ea in duplici fieri non posse, et defunctorum officium, si sit agendum, sub ritu semiduplici dicendum esse. Cum proinde Missa ritui duplici non respondeat, non unam sed plures Orationes habere debet.

2. Eodem modo ad secundum quaesitum cogimur respondere. Conditio namque explicite apponitur in Decreto recentiori super Anniversariis non fundatis, seu ad petitionem viventium, videlicet: *dummodo sint pro die obitus.* Atqui Anniversaria privata, de quibus in quaesito, non

sunt pro die obitus, sed pro commoditate petentium, ergo. Ita lex, e cuius limitibus nobis egredi non licet. Hinc patet eiusmodi Anniversaria, etsi hoc nomine nuncupentur, talia vere non esse, neque *stricto* neque *lato* sensu. Assimilantur ergo Missis quotidianis, quarum normas sequi debent circa Orationes satis abunde notas.

XII. *Ediocesi Mediolanensi.* **De ritu ambrosiano sequendo in Ecclesiis ambrosiani ritus.** Titius parochi officio fungens in Ecclesia ambrosiani ritus, si ad Regulares pertineat, qui ex formali regulae praecepto ad ritum Romanum adiguntur, quemnam ritum sequi debet in functionibus paroeciae propriis?

Resp. Gardellinius in Decreto *Novarien.* d. d. 31 Mart. et 3 Apr. an. 1821 a Pio Pp. VII confirmato, refert in Nota sententiam quamdam Mauri Talucci Olivetani Abbatis et Consultoris, in qua legitur dispositio tertiae Synodi S. Caroli, iubentis: « In Ecclesiis, in quibus more romano celebratur, vetitus est Ambrosianus, vel contra ». In Ecclesiis proinde ambrosiani ritus romanum exercere non licet, nisi dispensatio accedat competentis auctoritatis. Sed in casu habetur et formale praeceptum ex quo Rector Ecclesiae, quae ambrosiani ritus est, tenetur ritum romanum sequi. Quodnam ex duobus tenetur adimplere Rector, cum nequeat utrumque? Principium est nulli discussioni obnoxium, illud esse observandum quod gravius est. At profecto gravior est lex synodalis, cui proinde Rector adhaerere debet. Praeterea, eo ipso quod Regularis fungitur officio Parochi, in iis quae paroeciam respiciunt desinit esse sui iuris; quia inservire debet Ecclesiae; et Ecclesia nonnisi modo suo proprio administrari debet in spiritualibus, in casu autem iuxta ambrosianum ritum.

Quod vero attinet praeceptum regulae animadvertendum, quid illo maius esse obbligationem, qua tenentur Ecclesiastici omnes, Regulares et saeculares, ritum sequendi

illorum proprium. Haec enim a S. Sede provenit, quae vult omnino ut unusquisque ex Sacerdotibus ritum proprium servet, uti Carthusiani, Carmelitae, Dominicani etc. nec alium amplecti atque exercere possint sine peculiari indulto. Interim videre est Romae et alibi Carthusianos in Ecclesia parochiali exercentes romanum ritum ab eorum proprio diversum, item et Dominicanos et Carmelitas. Similiter in ipsa urbe Mediolano, Barnabitas, qui ritum romanum sequi debent, in Ecclesia parochiali S. Alexandri videre est exercentes ambrosianum, cum agitur, inquam, de functionibus parochialibus. Ergo ratio praecepti Regulae non potest infirmare legem graviorem, ex qua parochiales Ecclesiae suis iuribus uti possunt et debent, quibus proinde oportet minora iura cedant. Eapropter, sive agatur de Parocho, sive de Parochi munus agente, etsi Regularis sit, suum sequatur ritum in functionibus omnibus, quae parochiales non sunt: illae vero quae sunt parochiales ab eo exerceri debent iuxta ritum Ecclesiae parochialis, qui ambrosianus est in casu. Consequenter oportet ut hic ritus bene percipiatur, ut perfecte, seu in Dei gloriam Ecclesiaeque decus, seu in exemplum fidelis populi, adimpleatur.

XIII. *Ex Hollandia.* **De commemoratione octavae indultae in Dominicis Quadragesimae.** Per Decretum Gen. 5 Febr. 1895 octavae pro tempore quadragesimali indultae in omnibus Dominicis abrumpi debent.

Quaeritur: An com. huiusmodi octavae indultae fieri debeat ad Vesperas in Sabbato, si Vesperae integrae sint de praecedenti? Item ad Vesperas in Dominica, si integrae fiant de sequenti?

Resp. Iam ante praecitatum Decretum octavae in Quadragesima indultae erant abrumpendae in feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis. Quod ergo in his diebus statutum erat agendum, idem quoque agendum certo est, in

Dominicis Quadragesimae, ad quas octavarum abruptionem recens dispositio extendit; quia casus noster omnino idem est, et nihil differt ab illis. Atqui pro feria IV Cinerum praescriptum fuit, octavam terminare *ad primas Vesperas feriae IV Cinerum* **exclusive**: et pro Dominica Passionis ordinatum fuit, *in primis Vesperis faciendam esse commemorationem de die infra octavam* (*Einsidlen. Alia Dubia, 23 Iun. 1736 ad 4 et 5*); ergo etiam ad Vesperas in Sabbato praecedente Dominicas Quadragesimae, in quibus abrumpenda est octava, indubie facienda est commemoratio de infra octavam.

Sed Dubium tantummodo quaerit, an dicta commemoratio sit agenda quando Vesperae sunt integrae de praecedenti. Responsio autem data indubie saltem valet pro hoc casu, quia Dominica nondum incoepit. Quid autem, si Vesperae fiant a Capitulo de Dominica? Fortasse responderi posset, dictam commemorationem octavae esse omittendam, quia de Dominica incoepit officium. Sed reponimus, non ita intelligendam esse legem. 1. Quia lex praecitati Decreti non distinguit; ergo nec nos distinguere debemus. 2. Quia, in casu, de infra octavam possent esse Vesperae usque ad Capitulum; et tunc omissio commemorationis explicationem non pateretur. 3. Quia per commemorationem ad Vesperas officium diei infra octavam absolvitur; ergo illius omittendae non adest ratio. 4. Quia finis legis octavas abrumpendi in Dominicis Quadragesimae fuit, ut officium dominicale integre persolveretur cum suis suffragiis.

Verum suffragia ad Vesperas etiam ab officio duplici saepissime impediuntur; ergo non est praesumendum, legem prohibere voluisse dictam commemorationem ob suffragia, quae saepissime ex alia ratione impediuntur. Sufficit ergo legi, ut officium dominicale pro potiori parte non impediatur, seu pro suffragiis ad Laudes.

Hinc cl. A Carpo docet: « Apud privilegiatos porro de infra octavam, si incidat in feriam IV Cinerum (*idem dicas de Dominica Passionis*), nihil quidem agitur in Laudibus. » Loquens autem de primis Vesperis, ait: « Quod si festum celebratum fuerit duplex vel semiduplex, secundae Vesperae de ipso erunt, cum commemoratione octavae. » Item agens de sabbato, ante Dominicam Palmarum, scribit: « In cuius (*Dominicae*) primis Vesperis, peracta commemoratione diei infra octavam, de hac nihil amplius agitur (*Calend. Perpet: Adnotat. in Quadrag. n. 2 et 8*). » Ergo, sint 1.ae Vesperae integrae de praecedenti, sint usque ad Capitulum, com. octavae non excluditur, sed facienda.

Quid autem de secundis Vesperis in Dominicis Quadragesimae? Idem reponimus quod pro primis. Cl. praecitatus A Carpo suffragatur, qui etiam ante Decretum *Octavarum in Quadragesimae*, eamdem doctrinam sustinebat; quae per dictum Decretum lex facta est. Dicit itaque auctor: « Si vero in Dominicam illam (*Quadragesimae*) dies incidat infra octavam, nulla quidem octavae agitur com. in Dominicae Laudibus etc.; in secundis tamen Vesperis octava resumitur, eiusque commemoratio fit vel officium iuxta concurrentiae et occurrentiae leges (*loc. sup. cit.*). » Quam sententiam munit Rubrica peculiari Ordinis (num. 49), et S. R. Congnis Decreto in una *Marsicana*, 24 Jan. 1682 ad 2 et 3, quod nihilominus pro nobis ad rem non facit. Favet et ratio liturgica; namque officium de infra octavam, de quo iure agi potest die sequenti, ad Vesperas necessario resumendum est. Secus omittenda foret com. octavae in suis primis Vesperis, de qua die sequenti fieri debet officium, quod esset aperte contra Rubricas: quae de sequenti etiam Simplici commemorationem exigunt, etsi factum fuerit de duplici 1.ae classis. Ergo ut in primo casu, sive Vesperae sint de Dominica praece-

denti, sive de duplici sequenti, com. octavae non est omittenda ad 2.as Vesperas Dominicae, sed resumenda ut ad 1.as Vesperas. Vix innuendum, hypothesim nostram diem infra octavam respicere, prouti habetur in proposito Dubio, quae tamen non sit septima, tunc enim ad Vesperas Sabbati aliter dicendum foret.

Inferes: ad Vesperas, tam in Sabbato, quam in Dominica, omittenda esse suffragia, sive in Sabbato fiat a Capitulo de Dominica, sive de duplici cum eiusdem Dominicae commemoratione, sive in Dominica integrae Vesperae de ea fiant, sive de sequenti duplici cum commemoratione Dominicae: id autem propter octavam, dicta suffragia, si facienda forent, excludentem. Item preces ad Completorium esse pariter omittendas in casu; quia haec Hora, uti notum est, Vesperarum ordinem sequitur. Cumque ita illae ordinandae sint, ut commemorationem octavae habere debeant, preces omittendae quoque sunt ad Completorium, in quod ipsa octava redundat.

XIV. *E variis Italiae locis.* **De significatione Districtus Urbis.** Festa liturgica, seu Officia cum relativa Missa, quae conceduntur pro *Urbe eiusque Districtu* a quonam clero, Urbis Clero excepto, de quo nulla quaestio, recitari possint ac debeant?

Resp. Si responsum ad normam antiquissimi iuris exquireretur, dicendum foret, ad dicta officia, praeter Clerum Urbis, teneri omnem fortasse clerum, qui in circuitu reperiretur Urbis *per centum millia. Quod antiquus districtus Urbis triumphatricis*, ait Emus De Luca (*Lib. XV, p. II., Relat. Rom. Cur. for. Disc. XIII, n. 2), esset centum milliarium in circuitu....., et merito, cum imo exiguus videretur hic ambitus, habita proportione amplissimi populi, quem tunc Roma habebat.* Verum istius Districtus ab antiquissimo quoque tempore periit memoria; *omnisque iurisdictio*, uti praefatus auctor prosequitur, *ac praerogativa*

abolita fuit, solitumque a temporibus, in quibus Romanus populus quamdam nimiumque remotam imaginem antiquae potestatis reassumpsit, praesertim de tempore, quo sedes Apostolica in Gallia residentiam habuit, introductus fuit quidam restrictus non habens certum uniformem ambitum, utpote consistens in illis locis, quae solverint salem et focaticum.

Sed haec quoque differentia salis et focatici successu temporis sublata est, eodem docente auctore, cum Gregorius Pontifex XIII per reformationes Statutorum ulterius coarctavit Urbis Districtum per circuitum, seu ambitum 40 milliarium.

Cl. Moroni de Urbis Districtu verba faciens *(Dizion. Vol. 15-16 ad verb. Comarca)* plures urbes pagosque notat, quae in eius ambitu continentur, earumque numerum ad litteram et proprio idiomate referre iuvat:

« Questo territorio (Districtus scilicet Urbis) che forma quasi baluardo e corona all'alma Roma, racchiude Castel Gandolfo... i luoghi baronali di Bracciano, Gallicano, e la Colonna e 13 distretti o Governi, cioè Albano con due Communi; Marino; Genzano con tre Communi, Campagnano con sette Communi; Castelnuovo di Porto con dodici Communi; Tivoli con dodici Communi, Palombara con dieci Communi; Genazzano con tre Communi; Arsoli con undici Communi; Palestrina con dodici Communi; e S. Vito con tredici Communi. »

Quidquid tamen praefatus auctor scribat, praecitatus Card. De Luca haec notat: « Verius videtur, quod restrictus seu Dioecesis restringatur ad sex Episcopatus Cardinalitios, nempe Hostiensem *(et Veliternensem)*, Portuensem *(et S. Rufinae)*, Albanensem, Tusculanum, Praenestinum, et Sabinensem, ut etiam comprobat praxis Congregationis Visitationis Apostolicae *(loc. cit. n. 3)*.

Nihilominus hic locus distinguendi foret inter tempo-

ralem iurisditionem et spiritualem, haec enim minus late patet in casu, quam illa. Sed, omnibus praetermissis, et quidquid de hucusque dictis iudicandum sit, hoc in praesentibus rerum adiunctis pro certo habendum est, videlicet: Districtum Urbis, prouti nunc accipitur et intelligitur, nonnisi loca suburbana respicere, quae sunt in circuitu Urbis, eique proximiora, nullam vera civitatem, nullumque pagum extra Urbem.

His positis, facile patet quaesito proposito responsum, videlicet: ille tantum clerus ad praefata tenetur festa liturgica, praeter Urbis, qui extra illam degit, sed nullius alterius Dioecesis partem facit, qui imo ad solam Dioecesim Urbis pertinet.

Dictis nihilominus addere sequentem animadversionem necessario iudicamus. Clerus, qui aliquod officium pro Urbe eiusque Districtu concessum hucusque recitavit, cum tamen in eodem Districtu non contineatur, potestne eo ipso dictum officium relinquere, illudque e Calendario expungere? Sine haesitatione respondemus: Negative; una fortasse hypothesi excepta. Namque; aut cum officium incoepit recitare, intra Districtum Urbis degebat, et postea per eiusdem limitationem extra eius confinia mansit. Hoc in casu officium de iure possidet, et amplius relinqui *per se saltem* non potest, nisi S. R. Congregationis facultas accesserit. Festa enim liturgica, semel et rite acceptata, de iure continuari debent, cum Calendariis nil addere liceat aut demere sine auctoritatis licentia. Aut cum recitari coeptum est dictum officium, clerus extra Urbis Districtum versabatur. Hoc autem in casu demonstrandum foret, ideo illius celebrationem fuisse incoeptam, ea praecise de causa, quia clerus intra confinia Districtus Urbis esse iudicabatur ex errore, cum tamen revera extra manebat. Quod non facile profecto supponendum est; fieri enim potuit, ut ob aliam rationem dicta celebratio incoe-

perit, videlicet quia Episcopus et Clerus praefatum festum a S. R. Congregatione petierint; obtentaque concessione, onus remanet illud adhuc celebrandi ex eadem superallata causa. Unica proinde restat hypothesis, ex qua certo pateat, dictum festum ex errore fuisse assumptum et in Calendario inscriptum. Tunc enim arbitramur, de eo amplius non esse faciendum, illudque e Calendario expungendum. Ex hypothesi enim de errore agitur, qui emendandus est; et sicut officium ex errore omissum, cognito errore, in Calendario inscribendum foret, ita e contrario, officium in Calendario ex errore inscriptum, cognito errore, ab illo expungendum.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Africa.* Anniversarium Dedicationis quatuor Basilicarum Urbis, nempe SS. Salvatoris, S. Mariae Maioris, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, est festum primarium; quia Catalogus authenticus festorum, quod recentioribus Breviarii editionibus iam praemitti solet, inter festa primaria illud recenset. Neque opponi potest gen. Decretum d. d. 4 Febr. 1896, quod Dedicationem Ecclesiae non propriae festum secundarium declarat; quia dictae Basilicae considerandae sunt *propriae* pro clero universi Orbis. Consequenter, sicut Dedicatio Ecclesiae propriae est festum primarium, ita et primarium est triplex praefatum festum.

II. *Pro eod. loco.* Titulus Ecclesiae Cathedralis in praecepto est pro toto clero dioecesis, etiam regulari, ita iure liturgico statuente, uti ex pluribus Decretis constat, quae a recentioribus confirmantur. At, aliter res se habet quod

attinet eiusdem Cathedralis Ecclesiae Dedicationem; siquidem huius festum obligat profecto totum clerum saecularem, non vero regularem, nisi sub quodam limite. Videlicet, ad illam tenetur solus clerus regularis, qui degit in civitate Episcopali, non autem reliquus extra illam degens. Hoc quoque ex Decretis pluribus constat, quae recentiora confirmant. Quod ergo de dictae Ecclesiae Titulo praedicatur, de illius Dedicatione praedicari nequit.

III. *Pro eod. loco.* Regulares, qui in Gallia et Belgio celebrant Dedicationem omnium Ecclesiarum Ordinis die diversa ab illa, in qua Clerus saecularis celebrat Dedicationem omnium Ecclesiarum totius Reipublicae Gallicanae, ad harum Dedicationem celebrandam non tenentur (*Decr. Ord. Min. S. Franc. Capuccinor. 10 Iul. 1896 ad II, et Ord. Min. Capuccin. Prov. Hollandicae 22 Iun. 1895 ad II*). Consequenter dici nequit, eodem die omnes Ecclesias et Oratoria publica teneri ad Missam solemnem de Dedicatione Ecclesiae. Neque asseri potest, solemnitatem Dedicationis assimilari solemnitati festorum, quae in Gallia transferuntur. Quia haec solemnitas eadem die afficit utrumque clerum, quod de alia solemnitate posset non comprobari.

IV. *Pro eod. loco.* Decretum *Ord. Min. S. Franc. Capuccin.* d. d. 27 Iun. 1897 ad V, agens de conformitate Missae cum calendario dioecesis, respicit Oratorium praecipuum Gymnasiorum, Hospitalium et domorum piarum Communitatum. Hoc autem Oratorium, in casu, evidenter supponitur extraneum seu alienum pro Celebrante, sive saeculari sive regulari, qui ibi Missam facere debet. Quamvis enim in Dubio nominetur Sacerdos *addictus Oratoriis competenti auctoritate erectis*, cum nihilominus agatur de iisdem Oratoriis quae erecta sunt in Gymnasiis, Hospitalibus et piis Communitatibus, abunde patet, Sacerdotem alicui ex iis addictum nec parochum esse posse nec rectorem, qui Oratorium uti suum considerare valeat. *Addictus*

proinde dicitur, quatenus in eo Oratorio ex commissione Ordinarii celebrare tenetur, sed Oratorium extraneum ipsi est; ergo Missam conformare debet calendario, non suo, sed loci, seu Dioecesis, cuius Calendario Oratorium illud uti debet.

Pro *piis* autem *Communitatibus* eae manifesto intelliguntur, quae ex laicis sunt alterutrius sexus. Id autem eruitur, seu quia una simul nominantur cum Gymnasiis et Hospitalibus, seu quia id, quod in Dubio exponitur, de domibus Communitatum ad coetus ecclesiasticos pertinentibus comprobari nequit. Ergo sive eiusmodi Oratorii ministerium exerceat Presbyter regularis a suo superiore deputatus, sive etiam presbyter saecularis destinatus ab Ordinario suo, idem est: Oratorium semper alienum erit, in eoque Celebrans Missam faciet eiusdem Oratorii calendario conformem.

V. *Pro eod. loco.* Collectionem Decretorum percurrimus; sed nihil invenire potuimus circa prohibitionem, de qua inquiritur. In processionibus Sanctorum prohibitam reperivimus delationem SS. Sacramenti, uti in *Caesaraugustana* d. 23 Mart. 1593; sed in processione Sacramenti prohibitam delationem imaginum Sanctorum non reperivimus. In primo autem vetito, videmus sapientiam legis, quae ordinis inversionem reprobat: in altero non prohibito videmus tantum imagines servorum Domino famulantes. Si Sacramentum est veritas, imago vel statua ad Cor Christi repraesentandum, est symbolum. Hac alia de causa videretur in SS. Sacramenti processione permissum: nisi dicere velis, non esse locum symbolo ubi adest adoranda veritas.

VI. *Pro eodem loco.* Partes omnes Missae, licet ex iis quae mutabiles sunt, Episcoporum iurisdictioni non sunt obnoxiae, adeo ut permittere ii possint illarum omissionem. Proinde Introitus, Graduale, Offertorium et Communio in

Missis etsi cum cantu, omitti non debent, ubi organa desint. Si autem organa adhibeantur, iuxta Caeremoniale Episcoporum, pars Gradualis, totum Offertorium et Communio sub organo leguntur uti etiam Introitus repetitio, primum et ultimum *Agnus Dei*: ita ex eiusdem Caeremonialis Episcoporum probata interpretatione (*Lib. I, Cap. XXVIII, n. 9*). Quod si praxis alicubi diversa sit, nescimus quid dicendum: ii videant, quorum interest.

VII. *Pro Anglia.* Decretum in *S. Pauli de Minesota* (5322) minime decreto in *Sanctorien.* (5925) contradicit. In primo namque quaeritur, an toleranda sit **consuetudo** gradiendi per naves *Ecclesiae, interim aspergendo* (sacerdos) *populum cum aqua benedicta.* In secundo vero quaeritur, an sacerdos **debeat** *aspergere populum cum aqua benedicta, ... iuxta praescripta tum in Caeremoniali Episcoporum tum in tribus decretis, sistens ad cancella.* Et S. R. C. respondit in utroque casu, affirmative, quin tamen sibi ipsi contradicat; nam in primo casu adest consuetudo, haecque tolerari potest; in secundo vero quaeritur de iure, *an debeat*, ius vero statuit aspersionem faciendam esse stando ad cancella, ideoque servandum, ubi non viget consuetudo contraria.

VIII. *Pro N. N. 1.* In Orationibus, quae, iubente Ecclesia, in actionibus liturgicis et ecclesiasticis recitantur, nihil immutandum est. Ita lex. Ideoque probare minime possumus quod in sacrum B. M. V. Rosarium dicendo, Angelicae Salutationi *Ave Maria* nonnulla alia pia verba, uti ex. g. *Filia Dei Patris,* vel *Mater Dei Filii etc.*, vel etiam *Virgo ante partum, Virgo in partu, etc.* interpolentur. Ad summum illa pia verba adiungi possent uti piae iaculatoriae, sed vel ante vel post *Ave Maria;* nunquam vero in ipsa *Ave Maria.*

2. Nil prohibet quominus aliquis clericus, Sacerdoti Missam facienti inserviens, ab alio substituatur, servatis tamen

servandis. Nunquam vero substitutio haec facienda est tempore elevationis vel Communionis ipsius Sacerdotis Celebrantis. Quod si haec substitutio vel fidelibus admirationem ingerat vel impediat quominus praecepto audiendi Sacrum clerici satis faciant, tunc reprobanda est; sed alio ex capite.

IX. *Pro Brixia.* Exposito SS. Sacramento, usus ex quo thuriferarius thuribulum exhibet Sacerdoti pro thure in illud immittendo, non stans, sed *genuflexus*, sustinendus omnino non videtur. Certe enim id fieret in obsequium Sacerdotis officium agentis; ut probari id nequeat, quia, Sacramento exposito, nemini debetur reverentia, et multo minus *genuflexio.* Hinc neque si ipsemet Episcopus officium ageret, minister deberet esse genuflexus, ex eadem superallata ratione. Ipso namque Summo Pontifice thus in thuribulum immittente, minister thuribuli stat; quidni si quicumque alius Summus Sacerdos officium ageret? Usus contrarius, cum de re minima agatur, facile mutari potest, iis quorum interest convenientibus. Diximus agi de re minima: quae tamen est in obsequium hominis, sed aliquid detrahit Deo, uti facile perpendenti patet.

MONITUM

Die 5 Iul. **Festum S. Antonii M. Zaccaria** inscribendum in Calend. Universali iubet SS. Dom. N. Leo Pp. XIII, pro an. 1899. In seq. num. referemus Decretum.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE MARTIO

Quando antiphona idem ac psalmus sequens initium habet, cum tamen in reliquis differat, potestne in officio semiduplici applicari Rubrica Gen. Breviarii Tit. XXI. n. 7?

APPENDIX

E S. CONGREGATIONE

EPISCOPORUM ET REGULARIUM

OREGONOPOLITAN. DIE 20 IULII 1875. — M. Arcivescovo d'Oregon ebbe proposto i seguenti dubbii, notando, per la chiara intelligenza del primo, che il dotto Arcivescovo aveva citato un testo del dottor S. Alfonso de' Liguori, in cui dicevasi che i confessori delle monache, decorso il triennio, dichiaransi sospesi, si aggiunse: *et hoc valet etiam pro confessariis Conservatoriorum:*

1. Nos sœurs de Charité et autres consacrés à l' éducation de la jeunesse sont-elles comprises sous le nom de *Conservatorium ?*

2. Si oui, l'Evêque peut-il autoriser le confesseur à les confesser *ultra triennium ratione deficientiae confessariorum idoneorum ?*

3. La dèfense de la S. C. emporte-t-elle la nullité de la l' absolution du confesseur autorisé par l' Evèque à confesser *ultra triennium ?*

Questa S. C. de' Vescovi e RR. per la risoluzione degli esposti quesiti, dopo udito l' oracolo di Sua Santità, avverte primieramente che in genere la prescrizione sul cambiamento del confessore triennale deve applicarsi non meno ai Monasteri ed ai Conservatorii che ad ogni altra società di donne conviventi *more communitatis*, i quali abbiano i confessori ordinarî, salvo che da particolari indulti ne fossero dispensati. Aggiunge similmente che lo stesso S. Consesso nell'anno 1846 ad una richiesta affine alla presente, che aveva promosso il Vescovo Tridentino, se cioè fossero da cambiarsi nei singoli triennî i confessori anche quando, come avviene alle Suore di Carità inservienti agli ospedali, queste spessissimo sono trasferite da un luogo, e da una casa

ad un'altra, aveva già risposto in senso affermativo, concedendo però nello stesso tempo all' Ordinario le facoltà di confermarli una o anche due volte, osservate sempre le consuete condizioni in tale caso prescritte.

Da ultimo ha espressamente dichiarato la Santità Sua che ii lasciar continuare un confessore nelle comunità di donne, come sopra, oltre un triennio senza dispensa della S. Sede, alla quale esclusivamente appartiene il concederla, non importa nullità delle assoluzioni sagramentali, ma unicamente un esercizio illecito di quel sacro ministero. A rimuovere poi l'incertezza che tutt'ora rimaneva nell'animo di M. Arcivescovo di S. Francesco, gioverà fargli considerare che ove le Suore o Figlie della Carità di S. Vincenzo de' Paoli della sua diocesi abbiano l'abitudine o debbano confessarsi dal parroco, accedendovi nella sua chiesa parrocchiale od in altra pubblica chiesa, non è questo il caso in cui è applicabile la inibizione data ai confessori di proseguire al di là del triennio, mentre la medesima è inflitta unicamente ai confessori ordinarî che si recano ad ascoltare le confessioni nei monasteri, conservatorî ed altri luoghi ove convivono donne in forma di comunità. — 20 Luglio 1875.

E. S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

URBIS ET ORBIS

DE ERECTIONE ET AGGREGATIONE PIARUM UNIONUM SEU SOCIETATUM ETC.

Cum hisce temporibus pene innumerae exortae sint in Ecclesia piae Uniones seu Societates, quae etsi quandoque Confraternitatum nomine decorentur, nihilominus inter veras et proprie dictas Confraternitates minime sint recensendae ; merito dubitatum est, an leges, quae a Constitutione Clementis VIII, quae incipit : « *Quaecumque* », pro Confraternitatibus et Congregatio-

nibus iussae sunt, novis istis piis Unionibus seu Societatibus forent applicandae. Quaestio insuper mota est pro nonnullis Confraternitatibus ad Regulares Ordines pertinentibus, quoad consensum Ordinariorum, cum illae in Ecclesiis eorumdem Regularium Ordinum eriguntur. Quare huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia dirimenda sunt exhibita:

I. — *An Piae Uniones seu Societates, quae sub Confraternitatum et Congregationum nomine minime veniunt, comprehendantur sub sanctionibus Constitutionis Clementis VIII, quae incipit* « Quaecumque » ?

II. — *An ad erectionem Confraternitatum, puta Sanctissimae Trinitatis, Sanctissimi Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, vel a Virgine Perdolente, aliarumve huiusmodi, quae a Religiosis Ordinibus in suis respectivis Ecclesiis eriguntur, necessarius sit Ordinarii consensus ?*

Et E.mi Patres in Vaticanis Aedibus in generali Congregatione coadunati sub die 5 Augusti 1897 ad proposita dubia responderunt:

Ad I^um^: Affirmative, *quoad erectionem seu institutionem, quoad approbationem statutorum, quoad aggregationem et quoad publicationem Indulgentiarum.*

Ad II^um^: *Si agatur de Confraternitatibus proprie dictis, id est ad modum organici corporis et cum* sacco *constitutis*, Affirmative: *si de Confraternitatibus late acceptis, satis provisum per consensum praestitum ab Ordinario pro erectione Conventus Ordinis in Dioecesi.*

De quibus omnibus facta SS.mo D.no Nostro Leoni Pp. XIII relatione, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 25 Augusti 1897, Sanctitas Sua relationes E.morum Patrum approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 25 Augusti 1897.

Fr. Hieronymus Maria Card. Gotti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Archiepisc. Antinoen., *Secretarius.*

URBIS ET ORBIS

DE ADSCRIPTIONE FIDELIUM DEFUNCTORUM CONFRATERNITATIBUS, PIIS UNIONIBUS PIISQUE OPERIBUS

Cum, post editum Decretum a S. R. et U. Inquisitione sub die 6 Decembris 1876, nec non Resolutionem S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae d. d. 14 Augusti 1889, Moderatores piarum Unionum et piorum Operum perrexerint Defunctos hisce piis Unionibus piisque Operibus adscribere, ab hac S. Congregatione Indulgentiarum exquisitum est :

An, stante Decreto S. R. et U. Inquisitionis diei 6 Decembris 1876 et Resolutione huius S. Congregationis sub die 14 Augusti 1889, sustineri valeant adscriptiones Defunctorum piis Unionibus piisque Operibus ?

Et E.mi Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis sub die 5 Augusti 1897, rescribendum duxerunt :

Negative.

In Audientia vero habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, die 25 Augusti 1897, SS.mus D.nus Noster Leo Pp. XIII E.morum Patrum resolutionem confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 25 Augusti 1897.

Fr. Hieronymus Maria Card. Gotti. *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Archiepisc. Antinoen. *Secretarius*

SQUILLACENSIS

DE INDULGENTIA ALTARI PRIVILEGIATO ADNEXA

Episcopus Squillacensis huic S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia enodanda proposuit :

I. — *An Indulgentia Altaris Privilegiati separari possit ab applicatione seu fructu Sacrificii, quando Sacrificium est celebrandum pro defunctis ?*

II. — *An eadem Indulgentia Altaris Privilegiati separari possit, quando celebratur Sacrificium pro vivis, ita ut Indulgentia praedicta applicari possit pro defunctis ad libitum Celebrantis ?*

III. — *Quomodo intelligenda sit inscriptio, quae reperitur in aliquibus Altaribus, huius tenoris : « Altare Privilegiatum pro vivis atque defunctis » ?*

Et in generali Congregatione habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 5 Augusti 1897, E.mi Patres rescripserunt :

Ad I^um^ et II^um^ : *Negative.*

Ad III^um^ : *Interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in Altari, de quo agitur, Missae Sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro his S. Sacrificium applicetur, intelligatur concessa Plenaria Indulgentia ; pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii.*

Et facta per me infrascriptum Card. Praefectum SS.mo D. N. Leoni Pp. XIII. de his relatione, in Audientia habita die 25 Augusti 1897, Patrum Cardinalium responsiones Sanctitas Sua ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 25 Augusti 1897.

Fr. Hieronymus Maria Card. Gotti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Archiepisc. Antinoen. *Secretarius.*

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.